



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Evsebii Nierembergii Madritensis Ex Societate  
Iesv De Adoratione In Spiritu Et Veritate Libri Quatuor**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Antverpiæ, 1631**

Lib. III. Quæ ad praxin perfectissimè operandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46187)

IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII  
EX SOCIETATE IESV

D E

ADORATIONE

IN SPIRITV

E T

VERITATE

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

*De curâ benè operandi.*



TOTA opera diei sit opus bonum, & patientia malorum: totum tuum negotium sit mala pati, & bona facere. Nec sufficit, alacris & acer ad bona sis, & patiens ad mala: sed opus est etiam alacritate ad mala atque dura, ne magnitudine & molestiâ terrearis; atque patientiâ ad bona & honesta, ne multitudine & frequentiam numquam intermittendam fatigeris. Necessitas patientiæ transcendit omnes functiones

R 2 &

& casus vitæ. Vbiq̄ue necessarium est pati; sed pati, vt benè opereris, sit tibi iucundum & optandum: ibi duplex meritum, & patientiæ & operis. Numquam poteris fugere laborem aliquem; & nihil præclarum sine labore fiet. Sæpe corrumpit proposita virtutis, spes aliqua non patiendi; quæ fallit nos, vt interim suspendamus subire laborem & difficultatem sancti propositi, quasi in alio tempore forsan lenior futurus esset aditus virtutis. Deciperis, nisi persuadeas tibi, plus patiendum esse, quàm viuendum; nec modum nec partem vitæ esse expertem laboris. Vnus labor est heres alterius: si hunc fugis, non carebis alio succedenti: hoc tibi persuade, & spes falsa non laxabit conatum sanctum præsumptione opportunioris temporis, in quo putes sine tanto labore adimpleri posse perfectè exercitia sancta. Impossibile est sine labore aliquo viuere: ne reiicias laborem fructuosum virtutis: si hunc declines, in molestiorem incidēs. Solùm commutare laborem possumus, non vitare. Potes tamen vitare plures defectus & culpas, si non vanè cures vitare laborem, quod non poteris. Certus labor est, aut labor patientiâ subeundus, aut pœnitentiâ, aut pœnâ & supplicio. Non est satis perfectus amor aut pœnitentia, prout te decet, & meretur infinita bonitas & misericordia

cordia Dei, nisi pro leuissimo peccato veniali velles pati plures annos, & quantum in te est cruciatus inferni. Imò vt infectum redderes peccatum veniale, eligere oporteret pati damnatorum supplicia omnia. Si igitur postquam est factum, vt non factum redderes, tanta tolerare deceret; quantò magis antequam fiat, vt numquam sit factum? O miser spiritus! ah pudeat te, pudeat te: non tanti erit tibi peccatum vitare; sufficet, vt excutias desideriam.

Plerique torpent, quia putant ad saluandum se non esse necessarium tantum conatum ad perfectionem. O ingrati & pusillanimis, quid curas de beatitudine tuâ tam miserè? de salute tuâ tam periculosè? de gloriâ Dei tam ignobiliter & limitatè, quæ est immensa? Quæso, si salus tua non solum penderet de custodiâ mandatorum, sed à consiliis, & simul in tuâ perfectione staret salus omnium hominum, Angelorum, ac beatissimæ Virginis, & liberatio Christi à cruce; nonne conareris ad illam? faceres profectò: attende igitur, quoniam maximum aliquid tuam perfectionem exigit, hoc est gloria Dei, & beneplacitum diuinum, quod pluris est, quàm salus & utilitas mundi per se considerata, & quàm vita humanitatis Christi. Cura igitur, si tanti refert, singula opera tua etiam

minima exquisitè facere exemplo Dei, qui mirabilior est opifex in rebus minimis, in formicâ, pulice, ape, quorum admirationem non vincit cælorum & siderum artificium.

Hoc animo quodlibet opus aggreditor, vt velis facere, quantum vnquam fecisti, melius cum gratiâ Christi, ad vtilitatem militantis Ecclesiæ, ad gloriam triumphantis, ad honorem Dei; quasi non expectasset alium fructum de creatione mundi, redemptione, & præparatione cæli, vt glorificaretur ab omnibus Beatis, nisi hoc opusculum tuum; perinde ac si tota saluatio tua & salus vniuersi, & gloria Diuinitatis penderet de minimo tuo opere; quasi illud rursus non sis repetiturus, nec denuò aliud opus deinceps facturum, sed exspiraturus statim. Ne igitur parcas labori leui, cum iacturâ tanti commodi. Deus desiderat, vt perfectissimè hoc opus facias: si consideras Deum desiderantem, peruersissimus eris si non satisfacias, aut cogitare audeas de molestiâ tuâ. In se est optabile pati, sine coniunctione alterius boni operis, vt Christum imiteris: neque minus acceptabile erit, vt vites culpam aliquam, & opereris perfectissimè ad gloriam Dei.

Vsus hominis, bonum opus est: ad hoc natus es, vt bona opera facias: sed recordare, quòd homo natus sit ad laborem, quia sine illo

illo bona operatio durare non potest. Ne frustres finem tuum, sed conare imitari cum gratiâ Dei pulcherrimos conatus naturæ, semper curantis fructus suos meliores, quoad possit, producere tibi; vt tu meliori modo, quo possis, seruias Deo. Memento semper, obsequia tua omnibus modis diminuta esse, nec posse fieri æqualia gloriæ quæ tibi promissa est, nec pœnæ inferni quam pro peccatis meruisti, nec laboribus Redemptoris tui quos pro te passus est, nec beneficiis diuinis quibus te oneravit, nec bonitati Dei immensæ cui seruis.

## CAPVT II.

*Quòd excutienda sit omnis negligentia.*

**P**Vdeat te sedere in loco & tempore cursus, ò frigide spiritus. Vide stagnantia & torpida quomodo putrescant, & ferrum otiosum obducatur rubigine: age, via spiritus contentio cursorum est; non licet tardari, quomodo licebit stare? quomodo licebit sedere, in quo nec vacat fatigari aut cadere? Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic curre vt comprehendas. Si Deus creauisset cunctos homines simul vsu rationis præditos, & gratiæ dotibus æquales, ac ostenderet omnibus magnitudinem gloriæ

cælestis, & aliunde opponeret patefactum infernum horrendâ suâ immanitate, & omnibus reuelaret ex cunctis vnum solum saluandum esse, illum qui feruidius & diligentius Deum amaret, & seruiret, qui ceteros antecelleret sanctitate & charitate; reliquos verò damnandos: quis tunc hominum contuens supplicia & tenebras horribiles inferni, non niteretur summis conatibus esse sanctior, vt effugeret illas, & consequeretur cælum, atque esset vnus ille, qui saluandus esset? quantâ æmulatione ardentes seruirent omnes Deo? singuli excellere reliquos flagrarent: nemo esset qui totis viribus, & intento affectu melior omnibus non concertaret esse: nullus tunc negligentia, nullus teporis locus. At quantò maiori stimulo nunc deberes ardentius æmulari & impelli, vt feruidior fias cunctis Sanctis, qui in mundo hactenus vixerunt? Maior titulus & stimulus sine comparatione deberet esse, vt seruires Deo, gloria ipsius Dei & placitum diuinum, quàm illa angustia saluationis. O Veritas æterna, cur me magis moueret utilitas mea, quàm voluntas tua? cur magis posset amor meus, quàm amor tuus? maius beneficium est quòd multos cælum capiat, & pro hoc debeo magis tibi; cur modò tepidus & deses es spiritus infirme? Memento laborum Christi: vide

tot pueros, qui palmam tibi præripiunt, & teneras virgines præcurrentes: vide feruorem antiquorum Patrum, poenitentiam, humilitatem, charitatem, & Martyrum cruciatus; quomodo tu pigrescis, cum tot tibi præcurrant?

Quin si tuum commodum quæras magis, quam gloriam Dei, non deberes adhuc modo tepidius te habere: non est timendum quod minus nunc lucraberis, ac si habuisses illum feruorem quo antecelleres alios, & fuisses ille vnus; qui saluandus erat; imò feruidior adhuc debes nunc esse, & ardentius inhiare gloriæ Dei. Nulla nunc obsequia irrita erunt; & quò melior fis, maiorem gloriam præripies. Non esset hoc, si vnus tantum saluandus esset; cum fructus laborum ingenium tunc non esset, nec maius præmium pro maioribus obsequiis: quæ tunc magis periclitaretur incerta & casta, etiam si magna essent, si non forent omnium maxima: imò etsi excederes ferè omnes, si solum vnum non excederes, perinde essent ac nihil. Nunc securiora & fructuosiora sunt merita, nunc nulla opera nostra peribunt, nunc omnia officia remunerationem accipient iuxta feruorem suum: cur nunc miserè torpebis, cum iacturâ securi præmij? Quid? si certum esset nullum hominem damnandum, sed omnes



saluandos; non propterea tibi negligendum esset, potius feruentissimè conandum, pluribus meritis saluari, ac maiori gloriâ perfrui.

Age, non sunt condignæ passionēs huius temporis ad futuram gloriam: ne in te permittas lentitudinem, quæ tinea meritorum est, & scabies virtutum; maculata opera, semiuacua, & insulsa Deo reddens, ut euomat ab ore suo. Si desidiâ vinceris, tristitiâ molestaberis, coactus portare pondus diei & æstus sine solatio, cum conscientia te urgeat: at promptitudo & alacritas te insensibilem reddet molestiis vitæ; & summè Deo placebit. Quis herus est, qui non gaudeat seruos hilares habere, & lætos famulari? Si homo vult videre vultum alacrem, Deus quoque animos hilares. Ne Deum offendant tristitia tuæ negligentia, nec vitæ isti aniaræ addas absinthium torporis: nec gaudia Dei, nec mundi participat piger. In pluribus deterioris conditionis redditur tepidus Religiosus, quàm secularis. Hic si non gaudet spiritali consolatione, gaudet temporali: ille tepidus vtrâque non rarò priuabitur. Qui in peccatis est, non amittit spem conuersionis, & sanctitatis: at qui post conuersionem tepuit, subtrahit etiam partem fiduciæ; quæ potius de peccatore potest esse. Sæpissimè ex magnis peccatoribus

ribus multi fiunt magni Sancti ; sed miraculum, si ex tepidis fiat vnus sanctus. Difficilius experimur, fieri ex tepido feruidum, quàm ex peccatore sanctum : tepidus enim non se putat malum ; & quia se censet securum, & sufficere saluationi mediocrem vitam, quiescit : caueat tamen & formidet suam securitatem ; nam maximum periculum erit. At, quod tremendum est, Deus vocat, & quærit peccatores ; cum illis manducauit Christus, sed nauseat, & vomit frigidus ab ore suo. Vis aliud æquè terribile ? Misericordiam, & profusam liberalitatem Dei compescit tepidus : in maximos peccatores liberalis est Deus ; at erga negligentes quasi auarus & parcus, non dat illis, quod sæpè potiùs dabit peccatoribus. Adhuc terribilius addam, ex quo ossa cogitantis id tremefiunt. Deus qui omnibus dat, à tepidis rapit : talenta quæ dederat, auferit à pigro. Quid magis damnosum, quàm quod non finit, quatenus in nobis est, Deum beneficum esse ? quid magis malum, quàm quod Deum non finit esse nobis bonum, exercitium bonitatis & liberalitatis eius maximè impediendo ? Nónne maledictus qui tantum malum habet ? quàm meritò maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter ?

Plura quæ mala sunt ; aliquem saltem vsum commodum habent : desidia tam pessima  
nobis

268 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
nobis est, vt ad nihil iuuet. Quid peius quàm  
peccata graua? hæc sæpè ob admirabilem  
misericordiam & Sapientiam Dei, ex malis  
extorquentis bona, iuuant ad conuersionem  
& sanctitatem, cùm post illa humiliùs & fer-  
uentiùs Deum quæramus: desidia impedit,  
tam mala & nocens est, vt partim minùs se  
exhibeat bonam & vtilem, quàm ipsa mali-  
tia maiorum peccatorum. Desidia est caries  
temporis, corrumpens rem pretiosissimam:  
imò æternitatem lædit, minuens vitam æter-  
nam diminutione meritorum, & perdit tem-  
poralem otio suo mortali. Si quæras, cuius  
vita breuior; absque dubio respondebo, neg-  
ligentis esse, etsi centum annos viuat: si quæ-  
ras, cuius vita longior; dicam diligentis esse,  
etsi parum viuat: tatumdem ac mors desidia  
est. Quis mercator, si lucrum mille dierum  
in vno consequi posset, desidebit? Tu ne con-  
temnas tempus; plus valet vnus dies feruoris,  
quàm mille remissionis & teporis. Breuis vi-  
ta ardens æquiualeat, imò præualeat longissi-  
mæ, si frigida est. Si vis diu viuere, viue dili-  
genter.

At quantus pudor torporis, quàm ridicu-  
lus & infamis, qui ad duellum pro causâ Re-  
gis subeundum electus inter omnes optima-  
tes Regni, cùm plura priùs iactauisset, iam in  
ipso pugnae campo, spectantibus Rege, Pro-  
ceribus,

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 269  
ceribus, & totâ Curia, trepidaret non audens  
stringere enses, nec mouere lacertos, solum  
tentaret fugam & aduersario manus daret  
incruentas? O piger, causam Dei defendis,  
videntibus & inuidentibus pluribus Angelis,  
qui lucrum putarent pro gloriâ Dei pati ali-  
quid & concertare, vt tu potes: tibi factum  
hoc beneficium, vt pro Dei honore pugnes:  
theatrum Deo es, beatæ Virginis, Angelis &  
Beatis: sæpius promifisti strenuum te exhi-  
bere; cur modò in occasione laboris timidus  
torpes? O infamia naturæ! ne infames gra-  
tiam Dei, nec frustres, quæ præsto est subsidio  
tuo: quid pigraris in hoc opere? considera,  
quòd Deus desiderat feruenter, vt illud facias  
feruenter.

### C A P V T I I I.

*Quàm incommoda sit somnolentia.*

**Q**uid dignius primâ diei cogitatione,  
quàm antiquus dierum Deus meus, vt  
inde auspiceretur & consecratur mens? Non  
debet intermitti cogitatio & amor Dei,  
quantò minùs negari opportuno tempore?  
Primitias vitæ primo Auctori vitæ pende,  
manè astans illi. Oportet præuenire solem ad  
benedictionem tuam, & ad ortum solis te  
adorare, Domine: cum medio somnò & ad-  
huc

huc noctu clamor campanæ vel inspirationis ad surgendum factus est, & ecce sponsus venis, & exire obuiam tibi necesse est.

Iuuat ad diligentissimum ac vtilem occursum præparare à nocte oleum, ne, anima mea, cesset ardere amor tuus, & vt virgo fatua excludaris; quod tremendum est. Præpara, quomodo primo manè alloquaris Sponsum, & quæ sunt cum illo tractanda in oratione: deinde, si ad somnum cum dolore accedas, surges cum alacritate; si cum fastidio dormias, vigiliis cum ingenti promptitudine desiderabis. Quomodo non dolebit anima Dei amans cessare amare illum, laudare & mereri, & suspendi lucrum augmentandi gloriam, & diligendi desideratissimum Sponsum? quomodo ferendum, sustentari à Deo, & innumeris interim beneficiis amantissimè donari, & amari, & nullas gratias tunc posse soluere, nec redamare? Quare opus est, ante & post somnum, suspensionem illam amoris & meritorum resarcire ardentioribus affectibus & desideriis in Deum, supplendo iacturam illam vitæ, quâ non possumus Deum toto corde amare, & in eo occupari. Curandum est, ex ipsâ cessatione merendi & amandi mereri tantumdem, si posses, ac si vigilares. Fœneratores dormiendo etiam augent pecunias: facies idem, si conformis diuinæ disposi-

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 271  
dispositioni, cum obedientiâ & resignatione  
magnâ, te offeras ardentem, & feras patienter  
hanc miseriam & necessitatem humanæ vi-  
tæ. Qui mortem necessariam, siue morbo,  
siue malè ab homine illatam, patienter tole-  
rat, meretur: etiam mereberis, si quiescere &  
dormire acerbum & molestum sit tibi, vt est  
feruenter seruientibus & diligentibus Deum,  
si patienter te habeas erga somnum necessa-  
rium, sapienter ita dispositum à Deo. Fortaf-  
se, si res in se consideres, & quàm ægrè ama-  
tori vero Dei sit ferendus somnus supra mor-  
tem, mereri poteris dormiendo patienter pro  
Deo, sicut moriendo pro patientiâ. Ibi me-  
ritum, vbi magna patientia; ibi maior patien-  
tia, vbi maior molestia magis patienter susti-  
neatur.

Inter omnia graua humanæ vitæ, & in-  
numeras ærumnas, nulla maior quàm som-  
nus miseria, & dignè deploranda præter pec-  
tum videtur. Ceteræ calamitates affligunt  
tantum vitam, somnus interim penitus vi-  
tam aufert: aliæ calamitates tantum oppo-  
nuntur commoditati vitæ, somnus eius sub-  
stantiæ ad tempus: ceteræ calamitates ita  
molestæ sunt vitæ corporali, vt iuuent ad æ-  
ternam, meritorum materiam suppeditan-  
tes, & afflictione suâ excitantes mentem &  
trahentes ad Deum; somnus in se & corpo-  
raki

rali vitæ & æternæ interim aduersatur, quatenus tempus merendi, & memoriam cælestium intermittit: ceteræ calamitates amanti Deum desideratissimæ sunt, quia in iis meretur, probatur amor, glorificatur Deus; somnus nihil desiderabile habet, cum interim cesset amor, & animus glorificandi Deum: quare & somnus molestior, & dupliciter grauior, imò multipliciter quàm ipsa mors videtur feruentissimo amatori Dei. Mors grassatur in corpus, somnus in corpus & animam: tantò peior videtur ex hac parte somnus, quàm mors, quantò melior anima, quàm corpus; imò plus, quantò scilicet melior totus homo, anima & corpus, quàm solum corpus: nam mors te solùm priuat corpore, somnus animâ æquè ac corpore: mors solùm priuat vitâ carnem, rem mortalem & caducam; somnus animam, rem immortalem & æternam, quæ tribuit vitam corpori, non sentienti, nisi per ipsam: mors corrumpit hominem, somnus tatumdem est, ac si annihilaret per spatium. Mors non est formidanda; nam relinquit partem præstantissimam hominis liberam, scilicet animam, quâ homo est, quâ amat Deum, eiusque misericordias & bonitatem intelligit; quod est decus hominis, & summum votum & gaudium debet esse: imò & puriorem animam relinquit, sine  
impedi-

impedimento, vt expeditius amet Deum & noscat: somnus hanc partem nobilissimã hominis obruit & sepelit, exanimem ipsam animã faciens. Dic quæso, quid egrius ferres, mori, an annihilari? Si dares gloriã Deo moriendo, quia eius est voluntas; nõne gloriã dabis, si pro eius beneplacito velis annihilari? ergo si mereberis cum patientiã mortis, mereberis cum patientiã somni, si molestus tibi sit. Si mereris ferendo patienter quiduis molestum vitæ; quomodo non mereberis ferendo, si tibi sit omnium molestissimus somnus? imò quem solum debes censere molestum in vitã & in morte: nã nec in vitã, nec post mortem erit, post peccatum, aliud amanti Deum magis molestũ. In vitã quid graue dices, nisi labores & ærumnas illius? at minimè debet putari graue, pati pro Deo, sed optandum maximè: nec post Deum debemus aliud nobis magis desiderare, quàm pati pro Deo, ob amorem eius; nam vniris magis dilecto tuo, glorificas illum, & mereris gloriã. Nemo satis cognoscit quàm grauis nobis sit somnus, nisi qui æstimat in veritate, quàm immensa res sit gloria Dei, quàm inæstimabilis eius amor, & minimus gradus gratiæ & gloriæ, ad quam interim suspenduntur nouæ actiones meritorum. Post mortem verò quid graue iusto, nisi purgatorium? Sed si tunc etiam pateris,

S

non



non putandum graue dum purificaris, & te comit & adornat Sponsus, vt introducat in thalamum suum. Si integrum tibi relinquit amare Deum, quid refugiendum est, dum tibi relinquit indemne quod optas & voles? Vbi potes pati & amare, non est de quo conqueri possis. Si daretur optio vtrum malles mori, an per dimidiam horam dormire; anima æstuans vero charitatis incendio, ex se mortem eligeret, ne cessaret amare Deum: imò non plus desideraret resurrectionem corporis, quàm somni excessum vltra necessitatem & debitum per quadrantem adhuc horæ omnino vitare, & quantũ absque incommodo vigoris possset. Discretio enim vbique est seruanda, & debemus saltem compulsi accedere ad somnum necessarium, vt mentis functiones vegetæ sint & viriles ad obsequia necessaria diuinæ gloriæ, & ad orandum: ne si indiscretè priueris necessariâ quiete, in oratione graueris, & nimis dormites & langueas; malè deinde torpeas, vt nihil cum fructu fiat. Sed plus dormire quàm decet, conuenit mortuis potiùs quàm viuentibus: & anima secundùm se ponderans res, æstimansque rigidè, & flagrans æstu amoris diuini, vt vitaret dormire, quo tempore suspenditur amor Dei & laus illius, fortasse potiùs eligeret perpetuam mortem corporis; quia absque corpore

corpore frui & amare posset Deum, quod sufficit & est desiderium potissimum æstuantis animæ, sed sopita non posset: licet hoc non facile credet, qui auaritiam diuini amoris ut amet perpetuò Deum, ardentissimaque desideria & suspiria non est expertus, nec quantum verus amator omnem commoditatem suam aspernetur. Sed non debemus tepore nostro metiri ardorem sancti affectus & veri amoris: potius ex iis, in quibus videmus insanire amatores fugacis formæ, possumus suspicari quantum sapiant & ardeant amatores æternæ & immutabilis pulchritudinis. At si non sentis hunc feruorem, saltem fuge, quoad possis, somnolentiam & pigritiam.

Si tibi annuntiaretur annihilandum te fore, contremisceres id audiens; cur gaudebis somno, cum perinde sit, ac si interea annihilatus esses? Cognosce incommoda soporis, qui pessima & multiplex mors est, quadruplici vitæ maximè iniquus: somnus enim adimit vitam præcipuam corporis, in quo æquatur morti; somnus adimit vitam animæ, quæ perinde tunc est ac si non esset, in quo excedit mortem; somnus quoque iniurius quodammodo est vitæ gratæ & æternæ, intermittens merendi studium; quid igitur iniquius nobis? Quare qui æstuat vero Dei amore, & desiderio laudandi tantum bonum,

nimis auarus est temporis, & minimum dispendium eius maximam iacturam censet: ita ad somnum cum dolore accedit; hanc necessitatem vitæ à Deo ordinatam patienter fert, & offert; sustinens benignè, vt eius sanctissima voluntas fiat, interim priuari eo quod magis desiderat, amore & laude Dei, ac sedulitate in seruitio eius; & quantum in se est, vult non dormire, sed amare & laudare Deum, cupiens quàm primùm redire ad salutandum, seruiendum & amandum illum. Tu quoque hanc voluntatem habens, offer illam Deo, & velut moriturus cuba, dicens cum Christo, In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Sic mereberis quodammodo cum morte & otio somni ingrati tibi & molesti.

Flagra quoque desideriis illius iugis vitæ, cum sine interruptione frueris Deo; & lamentare huius vitæ ærumnas, quòd opus sit in re omnium molestissimâ tibi, & iniquâ hominibus, scilicet somno, quiescere & recreare functiones ipsas vitæ. Quomodo non erit ipsa vita molesta, cuius quies tam molesta est & incommoda? dignum fletu est, in ipso incommodo & dispendio vitæ reparari vitam: cum maius dispendium somnum breuem aliquando æstimet amator Dei, quàm longævitæ vitæ iacturam. Conare noctu,

& tu, feruentiori actu quàm fecisti in totâ vi-  
 tâ, te committere quieti, & amare Deum; &  
 desiderare surgere quàm ocyùs, statuens, vt pri-  
 mùm expergiscas, fundere ardentissimâ ora-  
 tionem præ omnibus quas vñquam habui-  
 sti, & consequi in illâ horâ nouam gratiam.  
 Iuuabit ad hæc implorare auxilium Angeli  
 custodis, & leuis cibus & parcus. Contractum  
 hunc cum corpore tuo paciscere; interim  
 quiesce, accipe stipendium: sed vt primùm  
 pulsabitur ad laborem, surgas. Quemadmo-  
 dum anima pro quiete corporis velut mori-  
 tur noctu & sepelitur; ita ipsum corpus pro  
 salute animæ moriatur interdium: dum vigi-  
 lat, corpus sit mortuum huic mundo; sicut  
 anima dum dormit, moritur interim cælo,  
 hoc est meritoriis operibus & cogitationibus  
 diuinis. Cura interim, vt suppleat corpus,  
 quoad fieri possit, eleuationem & orationes  
 animæ; quæ cum interim non oret, ipsum  
 corpus oret habitu suo modestè cubans, nec  
 supinum propter maiorem munditiam. Ca-  
 dauera componimus, & aduersus corruptio-  
 nem medicamur, quæ tandem futura sunt  
 esca vermium aut temporis: ita etiam com-  
 ponamus & curemus nos sopore mortuos ad  
 amplexus puros Christi. Iace formato signo  
 crucis brachiis vel digitis: has opes tuas te-  
 cum mortuo vsque ad manè interim conde;

278 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
cum mortuis enim sepeliebantur diuitiæ suæ.  
Numquam te à cruce auellas ; sed quam diu  
animus crucem non potest amplecti , ample-  
ctatur corpus , semper mortificationem IESV  
in se ipso circumferens. Christus mortuus,  
arrhas amoris dare voluit accepto vulnere  
lanceæ : tu quoque ad breue mortuus , offer  
pignus istud amoris tui. Ita sicut Christus in  
morte dormiens meritis adhuc de te fuit,  
fundens è cordis vulnere sanguinem & a-  
quam , maximum pignus amoris ; tu quo-  
que mortuus in somno , adhuc mereberis  
de Christo ob præcedens desiderium. Hoc  
signum sit vigilantis cordis tui dum dormis ;  
velut grues , dum dormiunt , vigilare dicun-  
tur apprehenso lapide.

#### CAPVT IV.

*Feruidè ad orationem matutinam  
surgendum.*

**S**I cum tædio ad quietem venisses , cum  
lætitiâ & festinatione manè exurgeres ad  
laborem ; nec opus esset venire Patrem fami-  
lias primo manè conducere operarios suos.  
Imbellis nimium eris , si infirmior sis som-  
no , & re omnium mollissimâ vincaris ; & sine  
vinculis ligeris , velut captiuus , vt nec alios  
nec te iuuare possis , sed in vmbra mortis  
sedcas.

fedead. Non opus erat vt te vocaret vox Dilecti tui pulsantis : cogita clamorem & pulsum ad surgendum esse pulsum Sponsi clamantis, & requirentis te amabilissimis & dulcibus compellationibus, vt aperias ; sororem, amicam, columbam, & immaculatam suam te vocat. Quem non mouebit tam comis & melliflua vox pulsantis, Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea ? toties suam te vocat præ amore, nec fatiatur te dicere suam. O Domine, quid est in me, quòd sic tibi placeam ? ane erit iustum, vt tibi displiceam ob leuem desidiam ? At si non acceleras aperire, quia sua es, ô anima, propter amorem suum ; saltem ob compassionem festina. Vt te moueat, subdit: Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Extraneo & inimico aperires tam male affecto; cur non Deo & amatori tuo, & propter te ita affecto ? Caue ne abeat, si pigeris. Quid placidius, & maioris solatij, quam hæc vox Dilecti tam dulciter pulsantis, vt animæ piæ excutiat omnem torporem ? Quem non pudebit, plusquam Vriam, esse in lecto, stante Christo, & expectante non sub papilione, sed sub dio & inclementiâ noctis?

Latrones noctu surgunt ad furandum, & iugulandam homines ; & tu, pro bono ani-

280 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
mæ tuæ, & ad glorificandum Deum, pigra-  
beris? Angelus vocans Petrum dormientem,  
inquit; Surge velociter. Plusquam mortuus  
es dum dormis; exurge saltem, vt mortui. In  
ictu oculi, in momento, cadauera surgent ad  
iussu Angelus: non te segnioem vult IESVS  
cùm vocat, quàm Angelus. Ægrè ferunt Spi-  
ritus cælestes, quia celerrimi naturâ suâ sunt,  
aliquantulum pigere corpore graui & oscitan-  
ti eos, quos à somno vocant; qui & libentissi-  
mè vocant, quòd offendant se specie solum  
torporis agilitati suæ contrarij. Seruus qui-  
dam Christi ex Societate nostrâ, cui nomen  
Ioannes Carrera, quotidie ad orationem ab  
Angelo Dei excitabatur ex somno antelucan-  
is horis; sed semel occultauit se Angelus,  
donec precibus assiduis, ieiuniis multis, post  
plurimos dies placatus ad antiqua officia re-  
diens, monuit Ioannem, propterea se inter-  
misisse præsentiam suam, quòd ad orationem  
minùs ocyùs accessisset, cùm semel languore  
& lassitudine laborum victus nonnihil mo-  
raretur. Tam grauitè offendit Angelum tam  
leuis culpa (si culpa fuit) vt ab ipsâ consci-  
entiâ delicatâ non sentiretur. Tanti faciunt fer-  
uorem & orationes misellorum hominum,  
vt seruitio suo non exæquent pretium earum;  
& animaduersione sollicitent, vt nec falsa  
species inertia sit, vbi intersunt vera bona.

Igitur

Igitur horâ surgendi non desideas; præcurrere priorem satage summâ cum festinatione, & esse primum cui occurat Dominus onustus donis adueniens, vt deflores gratias eius, exonerans illum qui in obuium primum onus deponet. Accurrere deberes ad Christum cruce onustum, vt exonerares illum, & loco eius crucifigereris; accurre ad illum gratiâ onustum, vt diteris ab eo. Quæ anima tam amens est, & prodiga, vt non assurgat velocissimè ad capiendum tot munera, & libandum oscula sponsi? qualis amor Dei est, si non redire velit celerius fulmine ad amandum Dilectum suum, quem à nocte desiderauerat? Oportet surgere concitatius, quàm si in stragulis & lecto ignis accenderetur. Velocius surgendum est, si in corde accensus sit ignis amoris.

Cura tunc otium somni, in quo non potuisti amare Deum, restaurare feruentissimâ eleuatione animi, amore flagrantissimo & totali holocausto tui, plusquam in vitâ aliquando fecisti. Perinde te puta, ac si in momento expergefactionis creatus à Deo esses, vt eo dumtaxat die seruires illi, & amares: ad hoc tantum tibi concedit Deus vitam præsentis diei. Si beatus aliquis annihilaretur à Deo, & denuò crearetur cum omnibus pristinis dotibus, quàm rapidissimo impetu



in ipso momento recreationis proueret voluntate totâ in pulchritudinem Dei? Annitere tu similem feruorem habere in somno annihilatus, rursusque vigiliâ creatus. Adamus & Angeli, in primo instanti quo creatos se nouerunt, quantâ vi & reuerentiâ afficiebantur erga Creatorem suum? Imitare beatam Virginem, in primo momento conceptionis suæ creatam in gratiâ, & expedito rationis usu: quo conatu in Deum prorupit? Christus Dominus in primo puncto vnionis hypostaticæ, quas gratias Patri egit: imò quanto amore tunc singulatim etiam recordatus tui? Cùm in capite libri scriptum esset, vt faceret voluntatem Dei, dixit: Deus meus, volo etiam pro illo homuncione Ioanne flagella, spinas, crucem, opprobria, mortem tolerare; totum me impendo, offero, sacrificio pro illius salute. Nónne te oportebit recordari quoque Christi, & dicere, Deus meus volo pro Christo hodie labores corporis, angores animi, vt ardentissimè seruiam illi, amem, & dem gloriam?

Nónne tu etiam deberes ad Deum conuerti, si te creauisset in gratiâ, cum arbitrij usu, & factâ tunc reuelatione omnium mysteriorum fidei; & inuenires te amatum à Deo, Filium Dei pro te factum hominem, & crucifixum ineffabili amore? Tantumdem est,

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 283  
est, ac si modò te creauisset: confide, in gratiâ Dei expergisces: ecce inuenis redemptionem tuam factam cruciatibus Dei tui tam matutino amore, vt antequâ nascereris, iam Christus mille & tot annis antea pro te mortuus fuerit, vt tibi diligentissimè præpararet gratiam cumulatam. Hanc diligentiam & facinus amoris, scilicet mortem Dei pro se iam factam, non inuenit Adam, non sanctus Michaël, aut Gabriel, aut alius Angelus; imò nec ipsa Regina Angelorum beata Virgo. Arde igitur vt primùm amore & desideris ignitis in tam beneficum Deum, festinum & prouidum tui; nec contempnas tantam præuentionem ad saluandum te. Adam expectauit circiter quatuor millia annorum tantum beneficium. At te expectat beneficium ipsum, iam mille & sexcentis annis; non est ius, tantam vt sedulitatem & celeritatem morâ & socordiâ velis compensare. Ne differas conuerti ad Deum, expectantem tamdiu.

Finge, animabus possibilibus offerri ingressum in hanc vitam, iis conditionibus, auxiliis, & fauoribus Dei, quibus te inuenis donatum hoc die; quantum lætarentur, & lucrum putarent, & quàm officiosissimè diem agerent? quomodo in primo aditu vitæ se Deo sacrificarent? Quid si iis quos in infer-

no hac nocte Deus præcipitavit, dum te dormientem amanter custodiebat; quàm incredibile feruore, vt primùm ad vitam redirent, se Deo traderent, & reliquum diem & vitam ordinarent, si semel viderent se cum gratiâ Dei, habitibus supernaturalibus, & opportunitatibus seruiendi tam benefico Deo? Pudeat te non feruentius Deo immolari beneficentiori erga te: maius est præseruasse à damnatione, quàm eruisse. Exstimula te, si posses vincere feruorem multorum Iustorum hoc saltem die, & age gratias, quòd non te reperias in inferno hoc manè, sed seruatum ab illo, atque tot periculis & peccatis, in quæ hac nocte innumeri inciderunt. Opta dare, si posses, tu solus gloriam, quam omnes Sancti per æternitatem dabunt: quod desiderium passim interdum sine fictione gemina, & geme in illo; nec solùm manè, sed sapius, quasi nuper incipiens & creatus, incipe seruire Deo recentibus semper viribus.

## CAPVT V.

*Feruor quotidianus debet retineri.*

**S**Tultè prouidebis, victurus hodie, seu fortè non victurus, si differas viuere in crastinum: Si hodie viuis, hodie benè & perfectissimè viue, quoniam solùm viuit, qui benè viuit.

uit. Pessimè moreris in ipsâ vitâ , si non viuis bonam. Quotidie cùm expergiscis , decerne viuere hunc diem meliori modo quo possis, tamquam si in nocte certissimè moriturus es. Non differas defectum emendare altero die , quem forsitan non videbis : dies deficiet tibi , aut voluntas. Benè tibi futurus dies habebit , si præsentem benè habeas. Numquam est periclitandum de vitâ bonâ , sed semper re tam bonâ fruendum. Vitæ pericula fugis : cur vitæ bonæ periculum paras cunctando ? Viue hodie, nec expectes viuere meliùs post hanc hebdomadam , aut mensem, aut hoc negotium. Hodie Deus est Dominus , & hodie oportet te esse seruum Dei: nam & hodie Deus seruit tibi, cùm hodie faciat solem oriri tibi. Non differt in crastinum sua munera ; tu nec differas obsequia tua. Hodie te Deus cumulat indebitis beneficiis: hodie tu desponde officiis debitis. Alterius diei obsequia non sufficient beneficentiæ sui diei : cur vis vt satisfaciant etiam diei iam præterito , & beneficiis quibus hodie frueris? Non sufficit diei bonitas sua , vt soluat debitum suum : quomodo vis vt soluat etiam pro malitiâ alterius , duplicatis debitis & gratiis Dei ? Hodie Deus est Deus , & hodie tu es creatura : hodie Christus redemptor tuus est, & hodie tu redemptus. Iesus Christus heri & hodie:

286 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
hodie : tu hodie es , & fortè cras non eris.  
Hodie & singulis momentis debitor Deo es,  
qui in te impendit continuò suã omnipoten-  
tiam : tu quoque debes singulis instantibus a-  
more impendere omnes tuas vires. Cur vnus  
horæ audes iacturam facere, cum per æterni-  
tatem non poteris Deo satisfacere pro bene-  
ficio minimo , quod hoc momento accipis,  
ex infinito Dei amore procedens ? Cur vnus  
diei aut horæ interuallo audes suspendere ob-  
ligationem tuam ? nam si Deus suspendisset  
vnâ horâ beneficentiam suam , in mundo  
non esses ; aut si suspendisset indulgentiam  
suam , in inferno esses. Æterna stipendia ti-  
bi promissa sunt , non decet mereri interrup-  
tis seruitiis. Si vis verè viuere, numquam in-  
termittas bonam vitam. Veritas æterna est.  
O Veritas, da mihi æternè tibi seruire veraci-  
ter : vt æternè tecum conuiuam , doce me  
quomodo hodie verè viuam.

Oportet , spiritus remisse , singulis diebus  
te armare ad prælium , & expergiscere alacri-  
ter, vt ad pugnam; audito velut lituo & signo  
bellico , Diliges Dominum Deum tuum ex  
toto corde tuo , & ex tota animâ tuâ , & ex  
totâ mente tuâ , & ex omnibus viribus tuis.  
Hoc præceptum tibi manè promulga, & per-  
suade tibi , diem vitæ esse diem non tantum  
militiæ, sed in quo prælium committi est de-  
signatum.

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 287  
signatum. Quomodo surgent milites eo die,  
quo publicatum est & præceptum, confi-  
gere cum hoste? Miles eo die quo præliatu-  
rus est, non est inermis: tu quotidie præliatu-  
rus es; manè te arma in oratione, feruentissi-  
mâ charitate, profundissimo contemptu tui,  
patientiâ, mortificatione, & diligentissimâ  
solertiâ. Suspicio solum prælij armat milites,  
& seruat per plures dies armatos, vt pugnent  
vno die: quid tibi facere debet certitudo &  
fides pugnae quotidianæ? Omnes tuas actio-  
nes manè dispone & depone apud Deum, &  
propone esse duplo meliorem hoc die quàm  
præterito, ne dæmon tibi interdium imponat,  
aut interponas feruorem.

Surge alacriter aduersus omnes difficulta-  
tes vitæ; & si in aliquam incidas, aut in ace-  
diam, non deficias, sed gaude. Materia ad-  
est victoriae maioris: inuade animosè, vt  
strenuus miles occurrens in contrarium for-  
tem, qui non deficit, nec fugit ad præsen-  
tiam eius; sed gaudet occurrisse, quem quæsi-  
turus erat. Pugna interdium viriliter, & in no-  
cte expecta mortem. Vita hominis militia  
est; in quâ vita semper dubia est, & labor cer-  
tus. Quoties cecideris vel leuiter, dimica ar-  
dentiùs, & persuade tibi sapiùs casurum;  
nam & iustus septies cadit; sed statim animo-  
siùs assurge, irritatus magis, vt miles accepto  
vulnere

vulnere plus in aduersarium ardet. Restaura simul ac aduertis defectum, maiori feruore reuocatis in mentem rationibus, quæ præstò sint tibi, ex meditatione matutinâ aut aliunde probatæ & familiares, pœnitendo & humiliando te coram Deo: nec differas emendare negligentiam illam; nam paulatim diffluet vigor spiritus. Qui vulneratur etiam leuissimè, nisi statim restinguat fluorem sanguinis, deficiet, & letale ex morâ fiet, ridiculum alioqui vulnus. E vestigio cura te, nec remittas ad noctem, aut alium diem: nam etsi nihil videatur, impediet actiones reliquas. Cui clauus aut spina figitur in pede aut manu, statim eruit; non differt ad noctem, aut post tertium diem, alioqui nec ambulare aut operari poterit: & tanta mora potest esse, vt cancro laboret, nec curari sine sectione possit.

Ne tamen adeò tristeris ex defectu leui, vt superbia magis sit, quàm pœnitentia; & impediaris ipsâ tristitiâ ad alia exercitia, quibus alacritate est opus. Meritò dicebat beatus Ludouicus Gonzaga, eos qui nimium contristarentur de suis defectibus, non satis se cognoscere. Miser es, sed te esse beatum speras: minus te contrista, & magis te humilia. Si agnoscas miseriam tuam, bona spes in Deo tibi minuet mœrorem; & desperatio cuius-

uis boni, in te augebit humilitatem. Multi idcirco nimium tristantur, quia non tam de offensâ Dei dolent, quàm de suâ infirmitate & vilitate, considerantes se tam imbelles & languentes; & quia hic affectus sæpè ex naturâ est iuxta amorem proprium, sensibilibior est, & interdum non levis incommodi. Solum dole de offensâ Dei, sed statim gaude sperando in IESU: & de tuâ ipsâ vilitate tibi gratulare, quòd nihil possis ex te nisi à Deo, quòd melius est tibi. Ita ipse defectus magis animabit te, & audacem faciet, fiduciam in Deo præstando, cum re ipsâ experiaris & manu quasi palpes, nihil te posse tuâ virtute, sed solum à Deo, & cum Deo; in quo securius præsumere licet: nam maior est bonitas Dei, quàm tua bona voluntas constans esse posset.

Persuade tibi, centies fortasse singulis horis te esse lapsurum; sed statue, millies te cum gratiâ Dei surrecturum. Quo sapius cecideris, confidentius surge, quia te cognoscis minus habere. Sincerior & purior spes in Deo est, cum de te desperas omnino: & tunc experientiâ ipsâ desperabis, cum infinities deficere à tuo proposito te vides. Deus id permittit, quia non satis te humiliasti. Si humilis verè esses, multis damnis medereris, & loquereris victorias. Humilia te coram Deo: time

T

de



290. IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
de te, spera in illo; in cuius fiducia tali circum-  
spectione, sedulitate, desiderio viue hunc  
diem, perinde ac si omnes homines simul ho-  
die essent creati, quorū vnus solūm foret sal-  
uandus, is qui ad feruentiorem charitatem &  
resignationem propriae voluntatis perueniret:  
ad quod cum reliquis datum esset spatium  
centum annorum vitae, tibi tantūm conce-  
deretur iste dies vnicus. Plus pro Dei honore  
& beneplacito nunc debes facere, quā in  
quacumque contingentia & suppositione pro  
alio respectu tuo, etiam saluationis.

#### CAPVT VI.

##### *De custodia feruoris.*

**N**ON minū pendet vita spiritualis à cor-  
de, quā corporalis: custodito & inte-  
merato corde, seruabitur spiritus. Sacrosan-  
cta Dei ara, & thronus Spiritus sancti, cor  
humanum est. Summā sollicitudine curare  
debes, vt mundum ab isto mundo illud ser-  
ues, nec maculetur imaginibus rerum mun-  
danarum, & impertinentium, quibus per fe-  
nestras sensuum velut machinis te quatit  
mundus, & dæmon. Plus curare cor tuum  
oportet, quā altare, sacrarium, & vasa sa-  
cra, vbi sacrificatur, colitur, & seruatur Cor-  
pus ipsum Christi in Sacramento. Quantā  
diligentiā

diligentiâ & sub quot clauibus custodiunt auari nummum & suum interitum? Studiosi rerum exquisitarum, quantâ curiositate singularem aliquam gemmam aut artificium aliquod peregrinum seruant, conficiuntque statim capsam quâ asseruetur, ne vel puluisculus illud attingat? & tu gemmam Diuinitatis, & Spiritum sanctum, sine custodiâ exquisitissima & mundissima putas decenter seruari posse? Si portares in manibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, attenderes ne excideret: cur si Deum portas in corde, non benè seruabis? Delicatissimum membrum cor est, leuis passio eius molestissima est, leuis vulneratio letifera est corpori: sic spiritum quælibet negligentia in cordis custodia nimium lædit.

Regnum Dei intra nos est: quid extra nos mendicamus miserias per sensus? Dei oraculum est cor purum: Deus intus loquitur: quomodo attendere & audire possumus, si foris & extra nos sumus? Dum loqueris cum hominibus, alium hominem te alloquentem interim non audies: quomodo audies Deum, distractus omnibus rebus? Quid foris optas videre pulchrum, quid iucundum audire, quid nosse nouum, cum intra te habeas Deum, vbi tota pulchritudo simul, tota iucunditas est simul, & semper est nouum

aliquid ipsis etiam Angelis beatis, tametsi ab origine mundi? Antequam Adam peccasset, viderunt illum: semper nouus ipsis est Deus. Quis Beatorum relinqueret conspectum & conuersationem Dei, seque ab illo seiungeret, vt conspiceret aliquid in terrâ curiosum; aut quis propterea positus iuxta portas cæli, inde regredi vellet? O quàm desclendus quoque est, qui vt expectet has terrenas sordes, impedit profectum suum in spiritu, deserens vestibulum cæli, quod est cor custoditum; ac relinquit Deum solum, & interdum cor suum solum, fugans ab illo Deum; vt deinde nec Deum tam perspicuè nosse valeat, nec expedite audire! Vt te videas in speculo, prius abstergis puluerem: quomodo in corde tuo vis videre Deum, si illinis illud luto rerum terrenarum?

Si diceretur tibi, esse in plateis concionantem altissima mysteria sanctum Paulum Apostolum, qui denuò è tertio cælo descendisset; relinqueres omnia etiamsi iucundissima & vtilia essent, & statim accurreres, licet longinquus esses, vt audires & videres illum. Ecce non est opus vno gressu, vt audias Deum tibi salutaria monentem, & altissima docentem, dum in te venerit, & mansionem apud te fecerit: cur non relinquis exteriora hæc, molesta & sine fructu, & omnem no-

uitatem

uitatem & curiositatem inanem vincis, quâ euaporatur feruor? Tanti hoc fieri debet, vt feruus Dei Pater Franciscus de Villanoua diceret, etiam si annuntiaretur sibi quòd Angelus de cælo venisset, & in foro esset, prædicans admiranda & stupenda, illucque confluerent omnes, se minimè moturum, vt solùm vinceret curiositatem. Et planè melius esset non videre Angelum, quàm vinci curiositate, si propter illam solùm videri desideraretur. Quid nunc habes ex omnibus quæ vanè vidisti, nisi fortè impedimenta contemplandi Deum, onustâ mente tuâ variis speciebus & imaginationibus rerum vanarum & falsarum? Quantò minùs videris, eò minues cupiditates & occasiones erroris. Cor clausum mundo, est aperta veritatis ianua; quæ clauditur, apertis & liberis sensibus exterioribus: occludunt illam res istæ materiales. Quare oportet semper intra te esse, nec nisi cum veniâ petitâ à Deo ad exteriora exire pro gloriâ Dei, & obedientiâ. Tunc non impedient te: sed statim, vbi primùm absolueris, intrò te verte, resalutans & alloquens Deum ibi te expectantem. Imò fur- tim in ipsis adhuc negotiis te collige aliquoties: te surripe ab occupationibus, & siste te ante Deum. Quidquid facturus es, perpende priùs, & offer Deo; & quoad possis, sæpissimè

simè recurre ad illum : visita in corde tuo, consule, & humiliter implora eius auxilium.

Præcipua tamen ianua hominis, quam oportet seruare, os est; ne per verba effluat deuotio. O quoties viliùs vendunt multi Deum quàm Iudas, cùm vendant pro vno verbo! Simon Magus damnatus fuit, quia argento voluit acquirere spiritum: alij perdunt Spiritum sanctum non pro argento, sed pro spiritu oris & vento. O sanctissime Spiritus, qui loqueris veritates, quomodo relinquam te, vt audiam mendacia hominum, aut loquar ego vanitates? Duc me cum IESU meo in desertum cordis mei, vt ibi doceas me, illumines, & robores ad portandam crucem. O Deus, ô Christe cordis mei, concede mihi, vt te sequar exiens è mundo & cœtibus mundanis, vt tecum extra ciuitatem moriar. Extra curiam Ierosolymorum prodisti sustinens crucis pondus, vt morereris pro me, & saluares me in solitudine; admonens me extra mundum abire, & te in me quære, ac ferre crucem, & crucifigi mundo in solitudine cordis. Vtinam vt militia esset vita mea super terram! Miles deserit parentes, cognatos, amicos, patriam, facultates, & exulat voluntariè in regionibus exteris, corpus & animam exponens euidentissimis periculis pro vili nummo: cur anima desiderans  
Christum,

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 295  
Christum, ut lucrifaciat summum bonum  
in suo corde, nolet à turbâ hominum exire,  
atque exulare ab hac miseriâ rerum, ut eua-  
dat maiora pericula animæ & corporis, diui-  
niſque consolationibus recreetur?

## CAPVT VII.

*Quàm oporteat constanter se habere in  
operibus bonis.*

**M**ltos annos laborant homines & con-  
stantes sunt pro rebus mundi incon-  
stantibus & fugitiuis: quomodo inconstan-  
tes sumus pro æternâ & constanti gloriâ,  
permanfurâ semper? Homines constanter se  
angentes & laborantes totâ vitâ non conse-  
quuntur bona temporalia, quæ sine quiete  
semper quærunt: quomodo præsumimus  
consequi æternitatem, cum sic mutemur  
quotidie? Quanta pro suis sceleribus patiun-  
tur latrones, lasciui, auari, dum ignota & in-  
certa quærunt? cur pro virtute & Deo nil  
constanter sustinemus? Qui sperat conti-  
num & æternum bonum, iniuste interrumpit  
in consecutione laborem: qui futurus est  
semper beatus, oportet ut sit semper bonus;  
nam

*Nulla dies actus hominis non damnat iniquos:  
Omnia conueniunt tempora iustitiæ.*

vt sanctissimus Prosper ait. Summa est gratia, custodire gratiam sibi datam: summum opus est, non cessare à bono opere. Vt animal sine capite deforme esset, & sine vitâ, tale monstrum est vita bona sine fine simili. Accepimus gratiam sine labore, sed oportet cum gratiâ & cum labore conseruare. Dimidium facti est principium; sed si non habet finem, nihil est. In hac perseverantiâ materiâ finis totum est: nam nihil est factum, si restat aliquid faciendum. Parum iuuat totâ vitâ laborasse, si in fine deficiat. Plus prodest vnum momentum vltimum perseverantiâ, quàm omnes anni præcedentes: nam cunctos quis perdidisset, si in illo instanti defecisset.

Difficile putabis perseverare: at difficilius est, iterùm incipere; & multò molestius, incipere sæpè. Quare facilius & vtilius est semel perseverare quàm crebrò inchoare. Equi minorem vim faciunt, cùm continuant iter trahentes currum, quàm cùm repetere volunt postquam steterunt semel, aut cùm primò inceperunt. Aqua quæ semel caluit, post eâ remota ab igne, frigidior quàm antea redditur. Si desit feruor, peior fortasse fiet, quàm antea. Desinunt plures perseverare, quia difficile bonum opus putant: sed non fugiunt difficultatem; nam perseverando facilius fiet.

Si

Si potuisti incipere quod difficilius est, poteris continuare facilius. Tamdiu experimentum operis habuisti, non esse usque adhuc impar tuis viribus & gratiæ: cur contra longam experientiam modò diffidis, & putas non posse sustinere illud? Quod præteritum, & quod futurum est, non grauat in tempore præsentis: ne simul consideres totam difficultatem; nam non venit tota simul, sed pars parti temporis respondet. Vt potuisti antea sustinere, poteris modò; poteris & deinceps. Non grauior erit quàm fuit, sed potius languet difficultas decursu temporis & consuetudine. Consuesce bene agere, sic malè agere dedisces; sic gaudebis in opere quod putabas terribile. Consuetudo vincit difficultatem, quia vincit naturam: quid faciet gratia Dei? Si consuetudo superat naturam, multò magis ordinata charitas in te superabit inordinationes naturæ.

Melius sæpè est implere propositum tuum, aut perficere opus bonum inchoatum, quàm inchoare aliud quod sit melius; quia assuetus facilitati animi, etiam istud non perficies. Rarò potest occurrere opus melius, quàm constantia, & propositi boni consummatio. Proposita bona sunt adimplenda, etiam si iam non putentur tãti momenti fore; quia licet in se fieri, aut non fieri parum referret, plurimum



rimum refert constantem esse & non mutari. Quis facilius proponit, quàm qui minùs implet, quod proposuit? Si firmiter perseverare discas in bono contra aliud bonum, firmiùs perseverabis contra malum, & non passim mutaberis temporaliter seruiens Deo. O Veritas æterna, da mihi vt æternè tibi seruiam: adiuua Christe infirmitatem meam, qui infirmitates nostras constanti amore portasti, qui numquam desistis tolerando impudentias & negligentias meas; da mihi vt non sim negligens, nec desistam impudenter in obsequio tuo; sed tolerem molestias omnes. Discam, Domine, perseverantiam amoris tui; qui cùm dilexisses tuos, vsque in finem dilexisti eos: qui perseverasti in cruce pendens, & noluisti descendere, quamuis promississent Iudæi credere in te Filium Dei: qui in tædio, angore, & sudore cruento, prolixius orando perstitisti.

Age spiritus remisse, dicito, quid debes optare & facere pro IESU, qui in cruce & doloribus pro te perseverauit; qui cùm dilexisset te, dilexit vsque ad mortem; nisi bona facere, & mala pati? Hæc sunt præcipua vota animæ diligentis IESVM, quæ maximè seruiunt perseverantiæ. Opus bonum adest; quò minùs illud perficias, quid facit nisi molestia laboris? Attende, aliud bonum hoc esse

se

se pati malum, attende iam duplicatum bonum: coniunguntur in hoc opere, malum pati & bonum operari. Non poteris excusari, si non perseveras; quia solum te impedit, quod per se optare deberes, pati pro Dilecto tuo. Si amor IESU in te arderet, omnes accidia, tribulationes, impedimenta extrinseca, non magis te opprimerent, quam cum ignis obruitur lignis, quibus magis mox incenditur. At si tam infirmus & gelidus es, ut non te urgeat amor Dei, incitet te lucrum tuum, & spes gaudij futuri. Desperatio salutis & vitæ temporalis fortiores solet facere milites, & saluare: spes diuina æternæ vitæ fortior est, & fortem te faciet & saluabit. Cum hac spe aggredere & persevera hilariter. Quod iucundè fit, fallit labores & molestias, etiamsi laboriosum sit. Qui ludo militari aut pilæ exercetur, plus laborare solet, quam qui pro mercede diurnam operam locat; & tamen non sentit, quia iucundè id accipit.

Si vis benè finire in ultimâ horâ, singulis horis incipe: si vis perseverare, semper de nouo inchoa. Ne excuses negligentiam tuam dispositione corporis. Plerumque fallit te amor proprius, quo remissa opera facias. Plus posset corpus, quam putas, si feruor animi esset: cuius vis etiam in infirmis creat vires corporales. Phreneticus cum infirmus sit & debilis

300 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
debilis morbo, plus potest quàm quatuor fa-  
ni. Vis animi aliquando se communicat cor-  
pori. Si infirmitas morbi fortes facit; quantò  
magis robur gratiæ, & fanitas animæ, cum  
diligat Deum, & sperat in eo?

### CAPVT VIII.

#### *De sollicitudine augendi gratiam.*

**V**Ade ad auarum, ô spiritus remisse, &  
disce sollicitudinem & artes. Non ma-  
gnum petitur à te, vt sis optimus, quòd imi-  
teris hominem pessimum: non maior dili-  
gentia à te exoptatur si placere vis Deo, nisi  
quam multi habent vt nemini placeant, imò  
vt displiceant omnibus. Pudeat pro Regno  
Dei non facere, quæ fiunt pro asse vno. Non  
plus à te poscitur pro magnâ gratiâ & gloriâ,  
quàm quod vltro peccator molitur pro vitio  
& inferno. Esto cum laude auarus gratiæ, &  
nimiùm minutus & attentus lucris cælesti-  
bus. Studiosi habitus ad actionem inclinant:  
quare virtutis est proprium, non quid actum  
fit, sed quid agendum; non quid acquisitum,  
sed quid restet cogitare: nec proinde vm-  
quam est in gloriâ sui, sed in sollicitudine.  
Non placent illi præterita, sed futura prouo-  
cant. Auara est, sitit, ardet; eò sibi pauperior  
visa, quò plus acquisiuit.

Auari

Auari temporalium, in odio omnium sunt; quia nec sibi nec aliis profunt: imò nocent aliis, aut vsurpando, aut impediendo, aut negando bona temporalia; sibi cælestia auferendo. Contrà auari rerum spiritualium, innocentes sunt, in gratiâ & laude cunctorum, quia se ditant sine damno alterius. Bona vera huius conditionis sunt, vt sufficiant omnibus, sine timore consumptionis & detrimento opulentix alienæ. In bonis spiritualibus auaritia laudabilis est, in temporalibus detestabilis: nam bona spiritualia sunt, vt seruentur; bona temporalia, vt erogentur: hæc enim non sunt bona, nisi dispensentur benè: bona verò spiritualia non profunt, nisi seruentur; quæ tamen communicatione non minuuntur, seu potius augentur. Ne igitur dedigneris laudabiliter & fructuosè facere, quod alij non desinunt facere cum vituperio & damno sui & omnium. Auarus vnum obulum tanti æstimat, ac vitam; quem si amittat, summè dolet: tu quoque quamlibet gratiæ iacturam, aut occasionem augendi, luge, si neglexeris. Auari excogitant machinas, vt commententur modum quo lucri aliquid augeant: tu non minùs occuperis, & mediteris semper crescere in gratiâ. Nihil paruum putes, sed omnia maxima quæ in cælestibus bonis sunt. Quemadmodum oculum

lum

lum videntem paruas stellas ratio corrigit, & docet esse singulas multò maiores quàm est totus terræ globus. Sic opinionem tuam, cum putas aliquid parum esse, corrige; & existima minutissimæ occasionem lucranda gratiæ pluris æstimandam, quàm Vniuersi Imperium. Semper palpebræ tuæ præcedant gressus tuos, vt paruulos vniones meritorum inter stercora humanarum occupationum distinguas, & feligas.

Hæc cura præcipuè sit, præter opera bona, in Sacramentorum vsu feruenti & frequenti. O immensa liberalitas Dei, quæ referatos thesauros tuos Ecclesiæ reliquisti, vt quisque prout vellet caperet! Æstimemus Sacramentorum diuitias: & prima cura auaritiæ sanctæ sit circa illa; nam sunt fodinæ gratiæ. Auarus qui pro vno asse integras noctes vigilat, tentat tot dolos, sustinet tot labores; anne patentes thesauros opulentissimi Regis videns, & à Rege rogatus, vt sæpius acciperet inde quidquid libèret, & instaret vt plures & maiores quos posset sacculos afferret, anne inquam contemneret hanc occasionem lucri? Hoc facit Christus tecum in institutione Sacramentorum. Non tantùm te disponi ad illa oportet, quatenus non frustreris; sed amanda sunt & crebrò frequentanda, vt maiorem gratiam consequaris, diligentissimè te præ-

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 303  
præparando. Dispositio est vasculum gratiæ:  
pro maiore dispositione & affectu tuo, ma-  
iorem reportabis: cuius minima particula,  
plusquàm omnia Regna, & vniuersa natura,  
valet. Fluit in his vasculis Sanguis Christi;  
nec sistet, nisi cum deficient vascula.

Habe hanc sanctæ auaritiæ astutiam; &  
singulis operibus cura duplicem, si posses, lu-  
crari gratiam: ea offeras, vt dignè ad Sacra-  
menta accedas; tunc gratiam ob meritum  
operis habebis, & aliam propterea potes spe-  
rare consecuturum ob dispositionem melio-  
rem, quam Deus tibi concedet, videns affe-  
ctum tuum & curam vt benè disponaris. Si-  
militer omnia opera tua roga à confessario  
tibi imponi in satisfactionem peccatorum.  
Habe quoque affectum erga omnia sacrificia  
Corporis & Sanguinis Domini quæ fiunt in  
mundo, vt velis omnibus assistere si posses;  
offer omnia illa Deo; sic dispositus maiorem  
fructum ex illis consequeris. Pari deuotione  
afficiaris erga omnes preces Ecclesiæ genera-  
les pro filiis suis, & ardentes fidelium oratio-  
nes, vt ita deuotè affectus, fias illarum magis  
dignus & particeps. Imò qui est in peccato  
mortali, quod cogitatu est horribile, non de-  
sinat hæc facere in reuerentiam dignæ susce-  
ptionis Sacramentorum, cum salutari propo-  
sito & diligenti studio & desiderio confiten-  
di

304 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
di peccata. Hæc arte opera sua bona, quæ alioqui sterilia sunt gratiæ ratione meriti, fructuosa quodammodò postea erunt in Sacramento ratione dispositionis, quam iuuabunt: nam licet propter illa non dabitur gratia, dabitur propter bonam dispositionem, quam potest sperare ex diligenti præparatione. Iam ab hoc puncto cùm sanus es, velis affectum habere & dispositionem dignam etiam circa extremæ Vnctionis Sacramentum, quando tibi fortè ministrari contingeret.

Attendat has minutias seruus Dei, nec gratiæ micam cadere permittat, quam lucrari possit; hoc studio totius vitæ congregabit ingentes thesauros: nec otiosum sinat instrumentum lucri, voluntatem desiderantem; cupiat facere quod exequi nequit. Votis locupletissimus fiat: cùm videt, audit, legit opus eximium virtutis, optet illud fecisse; inuideat sanctè & ardentè; similem gratiam fortasse consequetur. Qui approbat peccatum, perinde est ac si patrasset: sic qui desiderat verè opus virtutis, non erit sine præmio. Facilius Deus remunerat, quàm punit. Avarus nihil relinquit, quod non cupiat, cùm desideria tantùm seruiant maiori torturæ: quid faceret, si simul ac concupisceret, res possideret? Hæc felicitas & facilitas fœnoris est in avaritiâ sanctâ & spirituali. Vota non tormento  
erunt

erunt seruo Dei, sed consolationi & fructui: statim compos fiet similis meriti. Desideremus cum fructu æterna bona, siquidem temporalia desiderant homines cum dolore, & frustratione. Quàm facile lucrum est solius voti sumptu! Considera vberem censum desiderij, & quàm diues sis solâ voluntate; nec vacare sinas pensionem facilem rei tantæ. Omnium Angelorum & Sanctorum merita, imò & possibilia omnia, opta passim habere, vt Deo magis placeas; & locupletissimus fies de aliorum laboribus & obsequiis. Opta pariter, quoad possis, & sine fictione, pati quidquid creaturæ pati possunt: & cum pauca sint omnia opera voluntaria quæ pro Deo facere potes, consideratâ magnitudine obligationis tuæ, collige hinc inde plura: ipsaque opera necessaria vitæ, somnum, victum, & alia lucrare, & offer Deo. Cura quoque opera ex se exigua statuere in altissimâ virtute: maiorem inde gratiam habebis. Fac omnia ob amorem Dei. Quæ maior felicitas, quàm simul cum lucro tanto non separari à diligendo illum, quem diligere super omnia desideras, & debes desiderare? Ipsa lucra gratiæ, & Sacramentorum vsum ambias, vt magis placeas Deo, & fias magis pulcher & gratus illi. nec minùs sollicitus sis de incremento gratiæ, quàm timidus de iacturâ aut



306 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
otio ex leuibus culpis & defidiâ. Omnia tua  
opera & labores coniunge & offer cum ope-  
ribus & laboribus Christi : ita gratiùs à Deo  
respicientur. Moneta minùs probata, admix-  
ta inter copiam legitimæ, admittitur, & tan-  
tumdem valere solet : gutta aquæ in dolio vi-  
ni saporem vini accipit. Et vt omni munditiâ  
Deo seruias, indulgentiarum curam habe.  
Propone quotidie, cum surgis, lucrari omnia  
ista & facere quoad possis ; offer illa & dedica  
Deo, postquam te & cetera omnia tua soli  
gloriæ eius dedicaueris : & in die repete sæ-  
piùs hanc intentionem tuam : nondum te  
reddes, & satisfacies Deo, si consideres qualis  
erga te, qualis in se sit.

#### C A P V T IX.

*Quomodo laudandus sit Deus.*

**S**I est maledictus qui quodlibet opus Dei  
negligenter facit; qualis erit, qui Deo be-  
nedicit negligenter? qui hoc opus diuinarum  
laudum in quo Dei negotium præcipuè fit,  
deses & impudens agit. Turbari solent præ-  
reuerentiâ homines, si Reges alloquantur in  
causâ propriâ : anne in causâ ipsius Regis, &  
teste ipso Rege & auditore, impudentiores &  
ignauî erimus? Maledictus erit meritò, qui  
Deo non benedicit, vt decet, diligenter. An-  
gelos

gelos intuere, & omnes creaturas laudantes, & honorantes Dominum. pudeat te, desidendo, tacendo, aut offendendo contemnere. Quàm damnandi & peruersi gustus est, qui non semper gaudet laudare omnium optimum & ab omnibus celebrandum? O Domine, ne permittas, vt distractione & negligentia meâ orationem, & benedictionem tui, quâ omnia mala sanantur, faciam malum & peccatum. Quomodo locum aliquem distractioni possum dare, cum oporteret tot hominum oblitorum tui restaurare vnâ hac horâ omnes distractiones? Quantâ reuerentiâ debeo assistere, cum pro peccatoribus omnibus qui te inhonorant, & infantibus qui te ignorant, & creaturis quæ mutæ sunt, velis vt te laudem? Sed cur, Domine, tanti facis hominis vilissimi laudes? Quæ gloria maior patris familias, quod à filiis laudetur, aut à vilissimis seruis etiam? Fortasse ista, quia ostendunt gaudium quod in seruitio & domo suâ habent, quod vniuersi & vltimi etiam seruuli læti sint cum tali Domino. Gloria Davidis fuit, vt eius victoriam non solum aulici laudarent, sed ancillæ. Gloria Dei est laudari ab Angelis, quos glorificat, & aliquando maior laudari ab hominibus, quos humiliat, & mortificat. Quàm bonus es, Domine, vt etiam iis quibus acerba & mala

308 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
ista immittis, bonum te acclament! Per singulos dies benedicam tibi, & omni tempore, sine discrimine diei afflictionis aut lætitiæ.

Cognosce homo, quàm gratum sit Deo verè laudari, ex gaudio quod sumis, cùm laudaris etiam falsò. Simile est Deum laudare, ac si dares diuinitatem. Affectum solet appendere Deus pro effectu, quando hic est impossibilis. Quòd respiciat Deum deuotè anima aliqua sancta, tantoperè gestit, vt postulet ipsam auertere oculos à se, quia auolare & superbire faciunt: quantum placebit, cùm illum admiratur, stupet, & requirit canticis amatoriis & laudibus affectu plenis? Offendimus te Domine linguâ, vt vniuersitate iniquitatû; purgem illam vniuersitate bonitatû & perfectionum tuarum. Purgem infamiam illam linguæ humanæ, quæ acclamauit vt attollereris in crucem, & attollam te super Cherubim & Seraphim. Perdidisti Domine plures Angelos qui te laudarent: gratias tibi ago, quòd me miserum eligis, & substituis in alicuius locum, vt suppleam officium angelicum etiam inter blasphemias offendentium te. O quàm gratissima tibi laus animæ piæ inter tot infidelium maledicta, vt qui lusciniam audit inter absonantes & tetricas aues. Sonet vox tua in auribus meis, postulas Domine:

mine : quomodo negare vocem possum Deo me alloquenti, & concedenti verbum suum? O immense Pater, qui dedisti mihi Filium tuum verbum tuum, vt opprobrium esset cunctis pro me; debitor tibi sum verborum meorum, vt lauderis in cunctis rebus à me. Verbo tuo fecisti omnia : ius est, vt Verbi facta saltem verbis agnoscamus & gratificemur.

Si iumentum essem, ferrem onus; si pecus, irem ad maetationem; si bos, subirem iugum; fungerer iumentis, pecoris & bouis munere: at quia rationalis sum, fungar officio meo, Deum laudabo: hoc officium hominis, hoc pensum rationalis creaturæ; & ad similem cationem omnes creaturas hortabor vbique & semper. Non oneris, non laboris opus meum est, sed linguæ & cantus, & eius rei quæ tollit labores. Agricola & artifices vt fallant molestiam operarum, solent canere: cur tam facile & lætum munus negligam?

Si forem luscinia, gauderem canendo, & perfungerer officio meo: homo sum; cur non gaudebo celebrando Deum, fungens naturam meam? In hoc officio beatorum Angelorum erudiar inter miseras humanas, quod per æternitatem exercebo; & nunc velut in præludio, gloriæ specimen exhibeo. Intrudam me inter Angelicos choros, vt absurditas mei

310 . IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
cantus harmoniâ cælesti absorbeatur. Si inter homines , dum Religiosi concinunt in Choro , se inferere Angeli sunt visi : ego me inferam in choris Angelorum , & illic me præsentem faciam , dum laudes diuinas cano ; aut inter discipulos & Christum , cum hymnum cœnâ factâ dixerunt. O IESV dulcissime , quis imitabitur affectum tuum , quo hymnum dicebas ? Similis illi fuit , licet non prodiret , quem paulò post cruore fuso ostendisti , cum opus fuit vt Angelus te confortaret , laudando siue compatiendo. Da Domine , vt dignè laudando impleam officium Angeli. Da Domine , vt in memoriâ passionis tuæ per omnes horas compatiar tibi , & te confortem. Magis cuperes hoc afflictionis tuæ aliquod solatium , me videre aliquando attentum , humilem , feruidum , amantem in persoluedis laudibus tuis , maximè per horas Canonicas , si non festinanter id agam , sed congruo & opportuno tempore.

Oportet semper orare , laudare , & benedicere tibi omni tempore : quid est , quòd negotio omne tempus postulanti nullum aptum tempus concedatur ? Omnia tempus habent : sola oratio & laus tua , quæ omne tempus habere debet , nullum solet inuenire tempus. Non quòd priuatè dicantur Horæ ,  
debent

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 311  
debet licentiùs & remissiùs peragi; sed obseruantiâ & affectu coneris supplere fructum communis orationis, vt etiam reuerentia priuata trahat Angelos: vt seruus Dei deuotus ille Pater Societatis nostræ Ioannes Fernandus fecit, qui cum Angelo Dei recitabat pariter Horas singulari cæli fauore: tu saltem Angelum cogita tecum assistere, & recitare simul, vt reuerentiam ab eo discas, vt dignè & vtiliter laudes Dei perfoluas.

O anima, quàm es inutilis Deo, dum laus eius & gloria in ore tuo & corde non sit! Negat se opus Dei, qui laudem Deo negat, qui benedicere Deo negligit; cui sterilis est creatura, si non ferat hanc messem laudis. Fructus hominis, laus & gloria diuina est; hanc vsuram & vtilitatem beneficiorum suorum potest Deus, seu potiùs dignatur ex creaturâ capere. O immensa bonitas, laudanda ab omnibus! si tibi debet creatura laudes, quia opus est manuum tuarum, quantas debebit, quia tu laudasti prior? Res omnes creasti, Domine, æquè ac laudasti, approbando illas bonas, & benedicendo illis: cur non benedicam ego tibi, & prædicabo & videbo quàm sis bonus? Quanta dignitas est, ô homo, vt velit Deus tuam approbationem & laudem! Tam seriò debes laudare Deum, ac si tota reputatio Dei penderet à laudatione & ap-  
V 4 pro-

312 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
probatione tuâ. Cura esse bonus & iustus;  
nam laus ab iniquo, vituperatio est apud sa-  
pientes; & idem reputant, laudari à turpibus,  
atque ob turpia. Quidam dixit meritò, peius  
de famâ nostrâ mereri lentos & steriles lau-  
datores, quàm acerrimos detractores. Anne  
non poterit esse, vt aliquando exaltationem  
Christi & gloriam Dei minùs offendat Eth-  
nicus cæcus & ignorans, blasphemans, quàm  
Religiosus oscitanter, immodestè, distractè  
& irreuerenter laudans Dominum? Conui-  
tium apud homines, putatur frigida com-  
mendatio: & fortasse aliquando dicenda est  
proxima blasphemix, laus Dei nimis irreue-  
renter facta.

Primus inuentor laudis Deus fuit; & pri-  
ma doctrina quam me docuit, fuit laudare:  
primum beneficium, quo donauit creatu-  
ras recentes, laus fuit, & commendatio bo-  
nitatis earum. O dignitas laudis, quam inue-  
nire solus Deus fuit dignus! Aliarum rerum  
inuenta homini deberi voluit Deus; laudis  
inventionem præripuit ipse. Non tantùm  
creasti nos, sed erudisti & instituisti in officio  
nostro, quod est laudare opera tua, & te ex  
illis. Pater amantissimus non tantùm filium  
generat, sed institutionem eius curat. Lau-  
dasti Domine creaturas statim atque fecisti;  
& quia illæ te laudare nequeunt, quia mutæ  
sunt,

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB. III. 313  
sunt, mihi hoc onus pro seruitio suo imponunt, vt te pro illis laudem: nullum aliud stipendium à me petunt obsequij sui, nisi vt suppleam linguâ meâ earum infantiam. Laus mea, laus elementorum & cælorum erit; vt cum pro infante gratias quis agit benefactori illius, gratificatio infantis est. Præmium, Domine, operum tuorum, laudem meam petis: ne permittas tam iniustum me esse, vt fraudem te palmâ tuâ de me. Age Domine mirabilia & magna; ego pusillus curabo celebrare illa. Exaltare Domine in virtute tuâ; cantabimus & psallemus virtutes tuas.

#### C A P V T X.

*Quanta dignitas sit offerre sacrificium  
Christi.*

SUMMA gloria seruorum Dei est imitari Christum: quanti fiet, Sacerdotem æquiualeere Christo? Omne gaudium est pati pro Deo: at quantum foret, mori loco Dei? O quàm magnus fauor esset, si cum Christus spinis coronatus, sudore & Sanguine madefactus, cruce onustus, funibus implexus, viribus defessus cecidit, deficiens præ pondere ligni & debilitate tormentorum præteritorum, audires tunc de cælo vocem Patris amanti-  
V 5 geniti



geniti mei moriaris pro humano genere, & finias officium, ad quod elegi filium meum dilectum? O desiderium meum, vnde hoc mihi? quis mihi hoc concederet, quod plus exoptarem quàm gloriæ gaudium præfens statim habere? Quàm incredibile beneficium putarem, si solum vt Cyrenæus possem iuuare Christum deportans crucem? Haberem pro immensâ gratiâ, si solum vnum flagellum pro illo sustinerem; qualis esset totam crucem ferre, & me exhibere crucifigendum loco Dei mei? Profusis præ gaudio lacrymis accederem ad IESVM, & postularem coronam spineam suam, & meo capiti arctissimè infingerem; postularem funes suos, & me circumuoluerem; postularem crucem suam, & me onerarem, & alacriter ad montem Caluariæ irem. O quomodo inuiderent mihi cuncti Angeli, & ipsa Regina Angelorum, quomodo cælestes spiritus circumstiparent me, comitarentur, & venerarentur propter redemptionis honorem? Si hoc concederetur sancto Michaëli summo Angelo, vt pro Christo Domino pateretur; quàm ardentissimè acceptaret etiam inferni pœnas, exardens zelo gloriæ Dei clamaret ardentius, quàm antea, Quis sicut Deus? ceteri Angeli reputarent id gloriam summam suæ naturæ, & comitarentur delegatum illum pro  
Christo.

Christo. Multò maior fauor & gratia felicior Sacerdoti concessa est.

Confidera interim, quando ad Sacrificium accedis, præceptum tibi esse à Patre æterno, vt substitutus ad mortem sis pro Christo: quando sacris vestibus indueris, nihil aliud agis, quàm coronam spineam de manu Christi traducere in caput tuum, vestem eius induere, funibus eius ligari, & onerari cruce. Confidera quid agas; & tam deuotè accipe vestimenta sacra, quàm acciperes ab ipsâ manu Christi insignia passionis suæ, quæ ille plus quàm cælos quos vides æstimabat. Iam dum exit Sacerdos vestitus, quàm innumerabiles Angeli comitantur illum! Si pauciores fuissent creati, potius posses putare defuturos aliquos cælo & custodiæ hominum, quàm comitatu & assistentiæ Sacerdotis celebrantis. Cùm Rex vices suas alicui tribuit & delegat ad negotium proprium Regis, & auctoritatis publicæ, Optimates & Equites comitantur Legatum, etiam si relinquunt Regem ipsum & curiam: sic Angeli ad vicarium Christi honorandum, & assistendum, accurrunt; præcipuè cùm ibi etiam honorent ipsam personam Regis sui & Domini gloriæ, qui præsens fit admirabili modo in Missâ. Quàm humilis, quàm verecundus debet prodire Sacerdos! Sed iam cùm ad Sacrificij  
tempus

tempus accedit, optet supra modum mori loco Christi pro toto mundo. Attendat totum mundum à se pendentem, lamenta animarum purgatorij, immensa peccata hominum, innumera pericula iustorum, necessitates afflictorum, ardentissima desideria Beatorum, ingentia gaudia Angelorum, omnia spectantia Sacrificium: & cognoscens tunc Sacerdos morte suâ non posse satisfacere omnibus, vehementer gaudeat rursus Christum supponi ad Sacrificium, qui solus potuit omnibus facere satis; & Deum contentum voluntate Sacerdotis, ut olim voluntate Abrahami & Isaac, substituisse iterum Sacrificio innocentem arietem, & Agnum tollentem peccata mundi: qui abundantissimè pro omnibus sufficiet, liberans Sacerdotem, ne fiat hostia & moriatur, ei que impertiens dignitatem & honorem officij & legationis tantæ. Victima offerenda pro peccatis mundi, sine peccato debet esse: at quoniam nemo sine peccato est, nisi Christus; opus fuit, ut se ipsum offerat summus iste Antistes, qui non habet necessitatem prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.

Nescio quomodo hîc, ô Sacerdos Vicarie Christi, non liquefis & exspiras præ gaudio & amore. Si quis ære alieno & crimine proprio obnoxius in carcere detineretur, quòd  
non

non posset satisfacere; & accederet quis & liberaliter & inopinatò concederet, quo cumulatissimè satisfaceret, quantum gauderet? Ecce tibi impossibile est, vt pro minimo beneficio Dei, aut maleficio tui, Deo satisfacias, cui es infinitis titulis obligatus, nec ex te est spes satisfactionis: & si amas sincerè Deum, desiderijs instantissimis deberes pro hoc affligi: quantum debes exultare, cum tibi ad manus venit Christus, vt cumulatissimè satisfacias Patri? Planè hanc horam per totum diem & noctem semper debet expectare, qui diligit Deum, in quâ homo vilissimus infinito Deo offert quod infinite placebit illi, vt iam non timeat debitum peccatorum propter inopiam vnde satisficiat. Satisfac Domine Maestati tuæ de peccatis meis; & quod superest, mihi restitue, & ditissimus ero, nam restabit infinitum. Sed & illud tibi offero pro omnibus quibus se obtulit Christus in cruce, pro gloriâ tuâ, pro gratiarum actione, pro vniuersi orbis misericordiâ; pro aduentu Spiritus sancti, vt me visitet & incendat.

At quantâ charitate & obedientiâ debeo offerre Christum? tantò maiori quàm Abraham cum mactare volebat filium charissimum, quantum Christus distat ab Isaac, & causa totius humani generis à causâ vnius hominis.

318 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
hominis. Si beatissimæ Virgini præciperet  
Deus, quemadmodum iussit Abraham, vt  
IESVM vnigenitum dilectissimum sacrifica-  
ret pro humano genere, & ipsa materna ma-  
nu affigeret clavis manus & pedes filij sui,  
quàm ardentissimo æstu amoris inter riuos  
lacrymarum, quantâ festinatione, prompti-  
tudine, & obedientiâ id exequeretur, & ob  
hoc etiam beatam se prædicaret? O Sacer-  
dos, vide quid tibi commissum, vt tu ipse  
sacrifices Filium Virginis, Filium Dei. Sed  
maior fauor tibi fit, quàm tunc in illo casu  
fieret Matri Dei sanctissimæ: nam debitas  
nullas gratias potes Deo agere, quòd inue-  
nerit modum, vt sine dolore Christi, sine ia-  
cturâ sanguinis, sine acerbitate mortis Fi-  
lium Dei immoles, ac dolores omnes, cruo-  
rem totum & acerbissimam mortem IESV  
Patri offeras, perinde ac si illa omnia repe-  
rentur.

Obstupesce Sacerdos munus tuum, vide  
mundum suspensum de te. Quàm horren-  
dum est, cùm assistere deberes stupore ple-  
nus, quòd assistas attentione vacuus? & fun-  
gens officio quod à Diuinitate secundum est,  
in fecibus rerum occuperis? Omnes Bea-  
tos, & oculos & genua Angelorum (vt cre-  
do) ad te trahis & inclinas, cùm eleuas Cor-  
pus Christi; & tamen poteris te distrahe-  
re?

re?

re? Ipsi mortui venerantur in manibus tuis Deum; vt seruus Dei deuotus Pater Petrus Saabedra videbat corpus sancti Didaci assurgere & adorare Christum in manibus Sacerdotis: & tu qui illum sustentas, obliuisci tantisper potes tremendæ Maiestatis, & non adoras profundissimo corde? Considera circa te Hierarchias beatorum spirituum incuruatas, & dæmonum turbas humiliatas: nam si in nomine IESV omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum; ad præsentiam IESV quomodo inclinabuntur?

Vide quanta puritas tibi necessaria sit, qui pro Christo, & ad mundi peccata per ipsum Christum abluenda, delegaris. Non homo, sed Angelus & purior cælis debes esse. Quid dixi? ô quàm dispar & exigua comparatio Angeli & Sacerdotis est! cum Sacerdotalis dignitatis potestas multò maior sit supra facultatem Angelicæ naturæ, quàm sit Angelus in suâ specie supra vermem. Deus bonus suas creaturas voluit honorare, partem providentiæ & officij sui committens illis: Angelos potius deputauit coadiutores & vicarios suos in rebus naturalibus, ministrosque solemnes naturæ fecit, non dispensatores gratiæ, & substitutos suos in redemptione. Præsident partibus terræ & membris præcipuis mundi, curant species & naturas rerum:  
attamen

attamen ad efficiendum in aliis donum gratiæ supernaturale , non habent legitimam, imò nec vllam ordinariam auctoritatem, sicut Sacerdotes, quos fecit coadiutores immediatos in stupendis iustificationis operibus & redemptione : concedunt vt vicarij Christi gratiam, faciunt Filios Dei. In ipso Filio Dei naturali IESV exercent potestatem suam: conficiunt corpus Christi, & sacrificant. Stupenda miracula patrant. Lætantur Angeli seruire Sacerdotibus : sancto Eusebio celebranti ministrabant, dignitatem putantes hoc seruitium. Quantum distat gratia à natura? plus scilicet quàm sublimior Angeli natura ab stercore sine comparatione. Quantum distabit custodire hominem, ab eo quod est facere hominem Deum, ad diuinum statum eleuando? Quid maius est, curare vnum, an vniuersos? prouidere vnico, an prospicere cunctis? regere aliquem, an placare Deum pro omnibus? Hinc collige, quantum potestatis dignitas in Sacerdote excedat Angelicam. Sola dignitas Christi digna Sacerdotio est. IESVS solus, quia primogenitus Dei, dignam dignitatem iure suo obtinet. Nihilominus, ô mater amantissima MARIA, mater Christi & peccatorum, indue me vestimentis Primogeniti tui, per illius vitæ perfectam imitationem, velut Rebecca induit

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 321  
induit Iacobum, vt saltem minùs indignè  
Agnum istum, quem tu mihi dedisti, offe-  
ram aeterno Patri in cibum suauissimum, quo  
libentissimè eum nouisti vesci.

C A P V T X I.

*Quòd desiderandus sit Deus, & cupidè  
in Eucharistiâ suscipiendus.*

O Desiderabilis Veritas, quid audio de  
ore tuo verissimo? Desiderio desidera-  
ui hoc pascha manducare vobiscum. Quo-  
modo vir desideriorum impetrat à Deo,  
quidquid cupit; & Deus desideriorum non  
impetrabit à vili homuncione, quod depo-  
scit? Daniel ieiunator obtinuit gratiam apud  
Deum desiderando; & tu Domine saturator  
animarum, & distributor cælestis panis, tot  
desideriis, & machinis amoris non inuenies  
gratiam apud me, vt tibi concedam, quod  
tot inuentionibus & officiis procuras, cor  
meum? O spiritus torpide, quid desideras,  
nisi quod Deus desiderio desiderat? Sed Do-  
mine, quid desideras intrádo corpus meum?  
an desideras idem esse mecum, cum vniri  
mihi vis? Quid decet tuam Maiestatem de-  
siderare præter te? Desideras Domine me-  
cum esse; sed taliter vt ego fiam tu ipse, fa-  
ctus vnum corpus tecum, vt sint membra  
X cum



cum suo capite : & fiam simul vnus spiritus adhærens Deo , vt Deus sit mecum , & ego in Deo. Mirabili charitatis sapientiâ ita dispositum est , vt mansionem in me facias , ac in te maneam , & tu in me , & ego propter te viuam , sicut tu propter Patrem ; nec iam aliud desideres in me , nec mihi , quàm te ipsum ; nec desinas iusto titulo me desiderare , cum sine te nihil in me desideres.

Veni Domine, veni, occupa possessionem mei cordis, quod iustissime merentur desideria tua. O quantum deficio, nec resistere possum huic titulo desideriorum! Nonne factis erat, ô Veritas benefica, me obligasse tot operibus & donis: cur opus erat etiam me obstringere desideriis tuis? Consolationem meæ miseræ abstulisti: nam cum beneficiis tuis satisfacere non possent mea opera, votis id conari & optare me consolabatur; sed cum iam vota & desideria tibi debeo, quid restat mihi? O Domine, quantum desiderabilis cunctis desideriis es, quia desiderio desiderasti! quomodo vacat mihi aliud desiderare, nisi te Deum desiderantem? quomodo concupiscentia & cogitatio mea intermitteri potest à desiderio sanctissimi tui Corporis, vbi totus homo fit Christus? In aliis Sacramentis & gratiis vnus spiritus fit cum Deo; in hoc etiam vna caro cum IESV, tantâ vnione,

vt

vt substantialis, naturalis & realis, à Patribus  
 & Doctoribus dicatur: vt iam sim totus tuus,  
 & vnus tecum, & me respiciam & venerer vt  
 carnem participem carnis tuæ, quam vene-  
 rabatur & tractabat deuotè sanctissima Vir-  
 go; simulque duo in carne vnâ; & glorier  
 ego, dicens, Ego nunc caro ex carne Christi,  
 & os ex ossibus IESV. Sacramentum hoc ma-  
 gnum est in Christo & Ecclesiâ, per istud  
 mysterium quo concorporei simus cum Do-  
 mino gloriæ Filio Dei & Mariæ. Iam Domi-  
 ne te diligens, me diligam: nemo enim vm-  
 quam carnem suam odio habuit: & tu dili-  
 gens te, me dilexisti, simili fauore donans  
 carnem meam ac tuam, tractans ossa mea vt  
 tua, priuilegio resurrectionis: nam etiam si a-  
 lij Iusti & Patriarchæ & Prophetæ antiqui  
 non essent resurrecturi, resurgerent qui mo-  
 riuntur participes huius Sacramenti Domini-  
 ci Corporis; nec tantum resurgent ex vi me-  
 ritorum animæ, sed etiam ex carnis suæ di-  
 gnitate. O Domine, desideratus fuisti cun-  
 ctis gentibus, vt communicareris communi  
 naturæ nobiscum: quomodo non te deside-  
 ro, vt fias indiuiduus mihi & vnus admirabi-  
 li istâ coniunctione inconfusâ, cum meâ sin-  
 gulari carne, & spiritu?

Ideo Domine, quia non desideramus vt  
 debemus, voluisti tu desiderare, ne tantum

324 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
beneficium priuaretur debito amore & æsti-  
matione. Alia beneficia fecisti desiderari, &  
præcipuè Incarnationem tuam; at institutio-  
nem venerandi mysterij Corporis & Sangui-  
nistui omnino gratuito voluisti fieri, absque  
sumptu desiderij cunctarum gentium. Fuit  
istud Sacramentum inopinabilis liberalitas  
& insperata charitas, vt omnia deberentur &  
reseruarentur desideria erga perceptionem il-  
lius: & nihilominus non ardemus. Adeò ti-  
bi placet desiderium huius mysterij, vt mira-  
biliter accurras, & acquiescas animæ te cu-  
pienti. Beatus Stanislaus tyro nostræ Societa-  
tis, non semel cum compos huius cælestis  
panis non esset, desiderauit ardentè illum, &  
statim Angeli attulerunt illi & ministrarunt  
Eucharistiam. Quia rariùs recipitur Corpus  
Christi debito desiderio, non voluit Deus  
omittere occasionem dignioris sumptionis, &  
frustrare illam, cum vidit animam fameli-  
cam, & æstuantem.

Docuisti nos, ô IESV doctor Veritatis, su-  
mere deuotè hoc Sacramentum; nec imita-  
mur deuotionem tuam, quam ipse habuisti  
erga illud, desiderando. Nescio quomodo,  
si Christum diligimus, sine fletu & deside-  
rio illius istud mysterium aspicere possimus:  
nam sine desiderio sponsi non posset sponsa  
videre pignus, quod reliquit illi in sui memo-  
riam

riam peregrè profecturus. Non tantùm fatigendū est vt digne sumamus illud, sed quàm dignissimè possimus: nam præter quàm omnem reuerentiam meretur infinita Maiestas, & omnem puritatem infinita sanctitas IESV, maiorem inde gratiæ quæstum habebimus. Tria documenta Domine dedisti, vt digniùs ad illud accederemus, feruentem amorem desiderando, exquisitam munditiam & humilitatem, quas ostendisti lauando pedes Discipulorum. Quid dicam de munditiâ? Tanta decet & conuenit, ô amator Christi, huic mysterio, vt magis deceat curare puritatem, quàm si statim moriturus esses. Plus optes, plus te sollicites præparare ad Eucharistiam, quàm ad mortem: imò quadam fructuosâ ratione plus quàm si in gloriam Dei ingressurus esses. IESVS lauit pedes Discipulorum, etiam si mundi iam essent, cùm Corpus suum concessurus erat illis: & tamen cùm eos misit sicut agnos in medio luporum, instantibus mortis periculis, & cùm assumpsit in Thabor ad gloriam transfigurationis, non ita curauit lauari; nec cùm manducauit cum illis post resurrectionem gloriosus. Ad mortem conueniens præparatio esset, si fores in gratiâ Dei: nam etsi omnino non purificatus esses à pœnis aut culpis venialibus, priusquam coram Deo appareres, in purgatorio munda-

reris penitus. Vtinam ante hoc Sacramentum suscipiendum præcessisset purgatorium ! Sed quia non antecedit , oportet me diligentissime dispicere , præparare , & mundare omni culpâ leuissimâ , & debito cuiusvis pœnæ , & diligentia & amore ardenti supplere , quoad possim , purgatorij ignes : & quamuis ad intrandum in gloriam omnis purificatio requiratur pœnæ & culpæ , tamen non nisi operum & præcedentis gratiæ ratio habetur ; nec duplicatur diuina indulgentia ad dispositionem , distinctam à ratione meriti : at in Eucharistiâ dabitur maius ius ad gloriam , etiam pro cuiusque dispositione , ultra id quod pro meritis habetur ; & qui magis dispositus & purior studet accedere , tantò maiorem fructum reportabit , præter præmium operum bonorum : plus deberes desiderare , esse magis gratum Deo & placere illi , quod fit per maiorem gratiam , quàm gaudere quiescendo in gloriâ , si magnitudo beatitudinis cum beneplacito Dei & gratiâ non commensuraretur. Omnis præparatio operum , præter Sacramenta , quâ disponeremur ad gloriam , vno dumtaxat modo consequetur gratiam : at præparatio ad Eucharistiam , duplici viâ gratiam lucratur , & duplicatum beatitudinis gradum postea.

Adeò decet puritas ad hoc Sacramentum,

vt

vt diuinitus sit dispositum, quòd præcedens Sacrificium Christi sit pro peccatis nostris, quod vim habet remittendi ipsam culparum pœnam; ipse Christus, quem suscipimus, vult prius nos mundare, vt ipse mundauit & lauit prius pedes Discipulorum, antequam se nobis daret, & pro nobis traderet. Ostendit illâ lauatione, non quamlibet munditiam decere, sed exquisitam: nam non tantùm voluit manus Discipulorum mundas esse, quod ordinariis conuiujs sufficit; sed vt pedes etiam, quod magis extraordinaria diligentia est. Non tantùm manibus, hoc est operibus, mundos, sine vllâ culpâ, indicauit Deus oportere nos ad Eucharistiam accedere; sed & pedibus mundos, hoc est ipsis vestigijs culparum, id est pœnis ex remissis iam peccatis & operibus tepidis: sic Sacrificij gratia est in remissionem pœnæ ex peccatis.

O Domine, quomodo dignè accedam ad te suscipiendum? Quantus apparatus sanctitatis fuit Ioanni Baptistæ, vt in ore suo non te, sed nomen tuum figuratum sumeret, dicens, Ecce Agnus Dei; & vt ministraret figuram vnius Sacramenti tui? at ego, vt te ipsum verè & realiter in ore meo sumam, & suscipiam tremendum istud Sacramentum, quàm purus debeo accedere? O vtinam possem te excipere illâ reuerentiâ, quâ beatissi-

ma Mater tua te excepit utero suo, in stupenda illâ horâ incarnationis; aut quomodo corpus tuum sanctissimum de cruce refixum accepit in suo gremio; & Pater tuus immensus excepit spiritum tuum, in manus suas commendatum, cum expirasti. Quod diuifisti Domine in morte tuâ, inter Patrem & Matrem distribuens; vtrumque veneror iam in hoc Sacramento post resurrectionem tuam: non enim anima est sine corpore. Corpus quod reliquisti Matri, mihi concedis simul cum spiritu, quem commendasti Patri. O quis expiranti IESU apposuisset os, ut hauriret spiritum eius dignum diuinis manibus, ut corpus meum regeret! O quis squallens cadaver IESU posset sanguine proprio fuso tergere, & in se recipere sanguinem Christi pro me effusum, ut mundaret animam meam squallidam! O quis apponeret os, ut sanguinem & aquam è latere Christi fluentem gustaret & reciperet, ne gutta decideret! Sed tu Domine, desiderans & desiderabilis, imple vota mea in hoc tremendo beneficio. Quale gaudium fuit Angelorum in ascensione tuâ, cum cælum intrasti, qualia desideria præcelsferunt reditus tui in cælum? O desiderate cunctis Angelorum Hierarchiis, quantâ exultatione debeo gestire, cum in meum pectus intras?

Totam

Totam reuerentiam, quam omnes Angeli habuerunt cum te exceperunt, redeuntem à mundo & vitâ passibili, ego vnus tibi debeo multis modis: nam intras in me sapius, vt me vnum solum delectes, qui semel in caelos intrasti, delectaturus omnes Angelos. Sapius pro me vno facis, quod semel pro vniuersis spirituum Hierarchiis fecisti. Si hoc beneficium vni dumtaxat ex omnibus hominibus fieret, vt semel in aeternitate totâ intraret Christus in illius solius pectus hoc amabilissimo modo, quàm stupendum beneficium censeretur? qui audirent, vix crederent attoniti hoc benignitatis miraculo: ipse qui suscepisset, quàm extra se admiratus, sine voce, sine motu, imò sine vitâ maneret, nisi miraculosè inuaretur præ stupore, timore, gaudio, & amore, ex tantâ beneuolentiâ: cur ego dignè non vereor & admiror maius beneficium, cum non semel dumtaxat, sed frequentissimè, non mihi solum hoc fiat, sed omnibus; in quo maius beneficium meum agnosco. O quis te reciperet IESV amabilis in me intrantem, vt Pater tuus te excepit in caelum introeuntem, post tot cruciatus & mortem! nam omnium Angelorum sanctitas, deuotio, gaudium, pompa, celebritas adhuc non fuit digna, non dicam tuâ Maiestate, sed nec tuâ humilitate, quâ vis in casâ mei



330 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
cordis te arctare : da mihi tanto tuo exem-  
plo, vt infra nihilum me humiliem. Qui non  
possum satis me humiliare præ tuâ humili-  
tate, quomodo possum præ tuâ Maiestate &  
gloriâ ? O quàm felix anima, quæ se humi-  
liabit coram hoc Sacramento ; quàm hono-  
rata erit ! quomodo Angeli illam reueribun-  
tur & honorabunt, vt honorificè Dominum  
suum recipiat ! Sancta Theresia non semel in  
Ecclesiâ nostrâ vidit fratres nostræ Societatis,  
cùm ad Eucharistiam accederent, sociari ab  
Angelis, pallium interim pulcherrimum &  
locupletissimum obtendentibus super capita  
ipsorum, vt honorificentius tamquam regis  
& sacre animæ exciperent Christum : cùm  
verò alij accedebant ad communicandum,  
non vidit illud obsequium Angelorum : cau-  
sa fuit minor humilitas deuotionis. Curemus  
itaquè omni humilitate, deuotione, feruore,  
charitate, istum panem supersubstantialem  
quotidianum accipere. Sicquotidie illum su-  
mamus, quasi nullo alio die sumeremus : sic  
frequentissimè ad illum accedamus, ac si se-  
mel in vitâ accederemus : sic fiat quotidiana  
communio, quemadmodum debet fieri pri-  
ma die vitæ, & vltimâ in hora mortis.

CA-

## CAPVT XII.

*Non vltra necessitatem indulgendum  
refectioni corporali.*

**A**ngeli te expectant ad cœnam suam, ne fatieris vt pecora cibus corruptis. Qui conuiua vocatus est, nihil domi suæ comedit: conuiua ad cœlum inuitaris, saltem ne satureris in terrâ. Si satur cibus terrestribus, non potest esse bonus conuiua etiam epuli terrestris; quomodo potest esse cœlestis mensæ? Saturitas impedit saporem materialium dapum; quantò plus impedit diuinorum gustum? Lazarus ieiunus, qui nec de micis satiatus fuit, in cœnâ cœlesti accumbit; sed exclusus epulo ille saginatus. Homines in conuiuiis continentur, à cibus aliis se reseruantes edulio placidiori, quò inde saturentur: ô Domine, si satiabor cùm apparuerit gloria tua, illi me reseruo, & abstineo agrestibus terræ escis. Spe opipari prandij vt meliùs fruatur, ieiunat interim conuiua: ius est, vt spe diuinæ cœnæ saltem abstineamus. Memento, quòd te Christus æquauit cum Angelis; & erit pudor comparem bestiis te facere. Qui omnino non potest suam tollere infamiam, minuit quantum potest, & dissimulat: pudeat nos, opprobrium casus nostri  
à felici

à felici ftatu per gulam commemorare quotidie , & quidem cum gaudio & appetitu. Si famem cæli haberes , & honorem aliquem , fastidires terrena : circa quorum delectationem cum neceffe fit fumere cibum , perinde oportet te habeas ac fi non adelfet.

Conuiuia Dei ad cœnam gloriæ es inuitatus : interim ad mensam accumbens Chriftus fit conuiuia tuus , & abftinebis , fi cogites opus elfe vt diuidas cum illo. Quidquid detraxeris victui , offer IESV. Pharifæi & Publicani inuitabant Chriftum : tu Chriftianus , nimium non erit , fi facias idem. Qui alium inuitat , non fuum gustum curat , fed conuiuæ placere , cui meliorem partem tribuit : fic cum ad mensam accedis , non arrideas palato tuo , fed tantum ftude placere Chrifti voluntati : cui magnum gustum facies , fi tu nolis fumere gustum. Confidera illum tribus diebus , quibus Mater fua ipfum amisit , vbi comederit : para illi conuiuium cum fâncto Matthæo. Vide Chriftum , & Difcipulos , cum præ victus indigentia fpicas vellebant : voca , & de tuo cibo diuidens , epulum fac cum Zacchæo. Intuere quadraginta diebus ieiunantem pro te ; & fi cum Angelis non vis ministrare , inuita cum Simone ; & de abftinentia tuâ recreabitur , velut de mensâ præparatâ ab Angelis. Potum petit à Samaritana :

nâ:

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 333  
nâ : tu porrige de calice tuo. Sitio , clamat de  
cruce : poculum tuum illi ministra. O quis  
mihi daret fel & acetum , & commutarem  
calicem cum Christo , succurrens sitienti de  
potu meo ! quomodo in tam extremâ neces-  
sitate non tibi subuenirem ô Domine ? nunc  
possum , & sine dubio plus gustabis hac meâ  
voluntate , & abstinendi studio , quàm si iu-  
cundissimum poculum oblatum tibi gustas-  
ses , quàm inhumanus esset qui tibi non suc-  
currisset ? nunc possum , si non bibam ultra  
necessitatem. Quomodo sitienti non subue-  
niam ? Intuere , anima desiderantem IESVM  
pascha manducare nobiscum : comitare  
Apostolos , vt particeps sis desideratissimæ  
mensæ. Modeste & humiliter illic esto : quæ-  
re postremum locum , nec locum adhuc Iu-  
dæ eligas. Indignus es accumbere tali men-  
sæ : sede ad pedes socij tui proditoris ; ibi et-  
iam te inueniet humillimus IESVS. Recogita,  
quomodo manducaret tot annis cum san-  
ctissimâ Genitrice , & sancto Ioseph : inter-  
dum fortasse nollet multa comedere beatif-  
sima Virgo , & ab ore suo detraheret buccel-  
las , vt daret amantissimo filio , cum præ pau-  
pertate vtrique non sufficeret : te priua aliquâ  
buccellâ , & da hanc eleëmofynam Virgini,  
vt filium alere possit. Recordare , quomodo  
lactaret infantem IESVM amantissima Ma-  
ter;

ter;

ter; adhuc pro te tunc ieiunaret Filius Dei, & dulcissimis vberibus aliquoties abstineret: tu pro illo particulâ victus saltem abstine, & offer Christo ardentissimâ charitate, quemadmodum lactabat illum beatissima Virgo: imitare, quantum potes, eius amorem. Hoc modo sanctis meditationibus suffocabis, & affectione erga diuina præoccupabis appetitum tuum. Desiderium desiderio expelletur, & gustus gustu. Plus forsitan extirpabitur gula, & tua expurgabitur mens meditatione lectionis, & sanctâ occupatione, quàm ieiuniis ipsis.

Si non te mouerit Christo placere; dignitas & utilitas abstinentiæ deberet conuincere. Nihil magis spiritui auersum quàm immortificatio gulæ. Comede, vt alleues corpus, non vt oneres. Plerique cùm comedunt, magis grauant se, quàm alunt; cibum, qui leuamen vitæ deberet esse, faciunt pondus. Nónne turpissimum est, onerare & infarcire ventrem, vt aselli sarcinam, cùm nostra caro super Cherubim eleuata sit? Intra quem Regnum Dei, & sacrarium Spiritus sancti potest esse; quomodo tam vilis est, vt de stomacho suo faciat manticam, & mortuorum animalium tumbam? Qui templum Dei viui debet esse, qui ad diuinam vitam vocatus est; cur se deiiciet ad omnium abiectissimam  
plan-

plantarum ? scilicet ad vitam mortuam, & cœnum vitarum. Plantæ, cùm tantùm sit illis vita nutriri, omni sensu vacant. Tantumdem mentis perditur, quantum cibus afficimur. Quid indignius, quàm iactura vitæ Angelicæ & mentis ? Si præcupidè edas, timor fit tibi ne degeneres, non tam in pecus, sed in arborem & truncum. Adam gulâ victus, statim instar arborum foliis vestitus est, quasi vellet fieri arbor ; in quam intromisit se, fugiens Deum. Gula & nutritio non est vita propria irrationalium solùm, sed insensibilium plantarum, quibus peculiaris vita est nutritio. Ideò plenus venter obturat sensus, inanit mentem, ad insensibilitatem traducens, impediendo vsum rationis, quæ post prandium nimium torpet ; & contrahendo statim somnum, in quo nihil omnino distat homo ab ulmo & platano: nisi quòd statu suo hæc ferat fructum vmbre ; vita verò comedentium est vita dormientium, & vita dormientium, vita cucurbitarum iacentium. Inde qui minus abstinet, minus rationi obediens, quippe insensibilior est : sola vita arborum incapax imperij est. Nutritio ipsa non est in potestate animalis. Cùm increpamus cupiditates, & feras nonnullas, mansuefiunt, & cedunt magistris : at plantæ quæ tantùm curant ali, neminem audiunt, nec rationi parent.

rent.

336 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
rent. Est fex vitarum hæc vita, & remotissi-  
ma ab animâ rationis particeps; quanto ma-  
gis ab spiritu Dei compote? Canis audiet do-  
minum suum; sed non audiet quercus nec  
ficus agricolam, neque satur benè audiet  
Deum. Adamo, vt contineret eum Deus in  
obedienciâ suâ, promulgauit primogenitam  
ieiunij legem, & vnigenitam illius felicissimi  
status; vt magis commendaret nobis amabi-  
lem abstinentiam, quasi quæ sufficiens esset  
innocentiam custodire, & reliquas dotes &  
virtutes; & quæ aptum redderet hominem  
ad audiendum Deum, ei que adhærendum.  
Non alij nutrici confidit Dominus filium  
suum Adamum dilectum, & Beniaminum  
creaturarum, nisi ieiunio; in cuius manus fi-  
delissimas commisit illum, vt nutritius ho-  
minis esset, & pædagogus obedientiæ. At fra-  
cto ieiunio, statim Adam fugit vocem Dei,  
tam procul ab adhæsiõne diuinâ, vt non so-  
lùm ad Deum non vellet accedere, & quæ-  
rere, sed Deum quærentem se fugeret. Ine-  
ptus fit, qui abstinere non curat: diuinæ fa-  
miliaritati resistet, & inspirationibus sanctis,  
abiunctus ab vberibus diuinis.

Quid Deo & ventri? quomodo Deus  
charum habebit eum, cuius Deus venter est  
charus? Quomodo, ô diuina Veritas, in eo  
habitabis, qui amentissimus idololatra est?  
Stul-

Stultissimum fuit olim, quòd genu inclinarent iis quæ ipsi homines faciebant: quàm etiam stultum est, quòd tu intemperans homo inclines cor tuum his, quos destruis, saporibus & cibis, & qui te destruent? Quomodo cum Deo epulaberis, quomodo vitam cælestem ages, & volabis cum Deo super pennas ventorum ad vitam immortalem, si gaudes earum rerum vitâ quæ hærent terræ, & fixæ sunt radicibus suis solo, & sunt semisepultæ? Mortalissima est vita nutriendum se: vita enim plantarum est, quæ partim humatæ sunt. Nutritores ventris augent mortalitatem suam, impinguando quod in se mortale est, facti mortaliore impediendo vitam æternam, contaminando mentem, & contrahendo animam, vt corporea solùm fiat. Adam violato ieiunio statim mortalis est factus: tu mortaliore quotidie fis, dum mortibus saginaris, & auidè nutris mortuis animalibus, & conditis, vt in te humentur: at eò felicior eris, quò immortalior; eò immortalior, si minimo alimento indigere assuefias, & acerbo vesci. Tota nostra vita in hoc mundo acerba est, amaritudinibus & laboribus plena: quare dissonè reparatur & sarcitur suauibus rebus? Comede solùm vt viuas: talis sit cibus, qualis vita reliqua. Non viuis vt comedas; sed viuis vt moriaris,

Y

ris,



338 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
ris, & comedis ne citò moriaris. Celerius  
mors venit nimio cibo & delicato: cibus  
tantùm sit medicina vitæ, non venenum &  
corruptio.

Satis sit tibi condimentum fames tua, &  
fel & acetum Christi; qui propterea illud in  
cruce potavit, quoniam qui aduersus pecca-  
tum præliatur, non debet vti rebus iucundis:  
coniunctio quoque hyssopi cum spongiâ vim  
detergendi significat, vt purgationis animæ  
forma daretur. Abstinentiâ & acerbitate ter-  
gitur character diuinus, & purgatur sancta a-  
nimi puritas, vt Deo copuletur, & capax di-  
uinorum fiat: nam si ieiunium pellit dæmo-  
nes pertinaciores ab alieno corpore; quantò  
magis alliciet Deum facilem & benignum in  
corpus proprium? Si tanta ieiunij est gratia,  
vt illo purifices alios, te ipsum magis sanctifi-  
cabit. Quid diuinum spirat, qui spirat absti-  
nentiâ & famem: ipsum corpus quodam-  
modò eleuatur vi spiritus expediti. Ferrum  
graue est, sed euadit leue spiritu magnetis: tu  
quoque si à Deo te suspendas, alleuabit cor-  
pus tuum vigore spiritus, intellectuale & qua-  
si incorporeum reddens. rarefit quoque con-  
textus nostri corporis per abstinentiâ, vt a-  
nimæ iam traluceant diuina; ipsaque com-  
modiùs gubernabit illud, iam proportione  
sibi conuenienti deuastatum & sine cortice  
pingui

pingui magis politum; nec enim magnum pondus idoneè se finit tractari.

Denique abſtinentia tantum bonum eſt, vt nulli rei non ſit optima. Aliæ virtutes animam honeſtant; abſtinentia & corpori & animæ ſalutaris eſt. Sancti, & Philoſophi abſtinentiores diu vixerunt. Homines cùm immortales futuri eramus, ſolùm oleribus & fructibus terræ in illo feliciffimo innocentiaè ſtatu contenti fuiſſemus: nunc quoque temperantia reſtituit homini aureum ſæculum. Iuuat inedia ſalutem corporis; ipſa eſt medicina naturalis, ipſa medicina vniuerſalis omnibus morbis idonea. Peritiffimi Medici primum pharmacum cuius morbo inedia porrigi iubent: nam oppletio metropolis eſt morborum, & præcipuus mortis ſatelles. Omnes ferè iuuenum immaturas mortes ingluuiſ patrat. At ſi omnibus affectionibus corporis medetur inedia, animæ quoque vniuerſos affectus ſanabit. Elatas ceruices famas frangit, auaros cogit ad impenſas, otioſos & deſides ad operas inſtigat, luxurioſos caſtificat, iracundos manſuefacit. Si ergo omnibus vitiis reſiſtit frugalitas, cùm eſt inuita; ſi cùm non eſt virtus, generat virtutes; quid reſtat, cùm virtus vera & ſincera eſt, niſi quòd Deū animæ ſociet & in eà ſtabiliat? Cum ieiuno Eliâ & Moyſe, Deus gauifus eſt confabulari.

Verùm perinde vt ieiunium auerruncat & fugat dæmones, ita saturitas Deum. Nisi hoc vitium ableges, & virtutem temperantiæ in animo stabilias, in reliquis potes desperare. Perinde erit, ac si canes molestos volens abigere pro lapide coniicias panem. Prior intestinus & ciuilis hostis superari debet, quàm possint externi.

## CAPVT XIII.

*Quòd vitæ ratio sit sumenda frequenti  
discussione sui.*

**R**ARò respiciunt homines vitam suam; ideo frequenter pessima conspicitur: plerumque nihil consulunt de actibus suis, ad summum aliquando quid facturi sint, sed rarò quid fecerint; cum vix sciant quomodo sit benefaciendum, nisi considerent quid sit malefactum. Ex præteritis damnis futura prosperantur. Mercatores noctu computant lucrum diurnum; & si detrimentum inueniant, alio die aliisque rebus statuunt restaurare. Domini rationem vilissimarum rerum exigunt à seruis: quomodo anima humana, quæ cælum & terram superat, sine rationibus relinquitur? In dispendio minuti æris scrupulosi sunt, & damna æterni lucri non curant. Respublica sine Magistratu, vulgus  
scele-

sceleratorum erit: incultus ager, seges tribulorum. Plus peccatum Adami cor nostrum corrumpit, quàm terram. Si conscientiam non colas, per innumera vitia fructificabit.

Oportet, ô spiritus remisse, rationem tui exigere immisericorditer, vt misericordiam Dei consequaris. Multi periclitati sunt ob peccata occulta. Tenebris inuolutus est mundus: vix te nosces cùm te disquiras; quid erit si nec te aspicias? At si te ignoras, quid curas scire alia, imò & habere alia? nam etsi mundum possideas, & calleas vniuersas scientias, fatuus & pauper eris, & vilissimus; quia te non possidebis, qui præstas rebus omnibus, & per quem possidebis omnia: & te non possidens, nil possidebis, nec scies nisi abuti omnibus, & errare. Solus sapiens, diues: pretiosus est qui se tenet, vilem agnoscens, & inuenit & contrectat vilitatem suam. Equum, quo quis vititur, vult nosse; armenta & pecora vult numerata habere; & se solum ignorare, & sine numero peccare. Cur tam hostis sui est homo vt nec respicere se velit? At si te odisse vis cum fructu; quæso, te oderis, horrendo te, non obliuiscendo. Ex respectione tui te horrebis, ex horrore te corriges, ex correctione gratus Deo eris.

Tametsi nolimus discutere nos, nihil inultum Deus permittet. At si nosmetipsos di-

342 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
iudicaremur, non utique iudicaremur: dum  
iudicamur autem, à Domino corripimur, ut  
non cum hoc mundo damnemur. O Veritas  
misericors, quæ nos reos in te nostrimet de-  
legas iudices, quid clementius? O magna  
misericordia, quòd humano nostro iudicio  
contenta sit iustitia diuina. Si quis accusatus  
ob facinus patratum, expectaret iudicem à  
Principe designandum, qui causam nosset;  
quàm cupidus & sollicitus esset, ut aliquis  
propinquus sibi, aut patriâ, aut familiaritate,  
iudex deputaretur? quantoperè gauderet si  
consanguineus aliquis esset aut amicissimus?  
Vide sortem tuam, & benignitatem diui-  
nam; qui te ipsum iudicem tuimet vult esse.  
Si duo tribunalia alicui reo proponerentur,  
vnum seuerissimi hominis & extranei, & in  
quo inclementissimarum legum praxis esset,  
alterum mitioris & cognati sui, & in quo le-  
ges vigerent minùs pœnales; si iudicari &  
damnari vellet in illo rigidissimo, quid ab a-  
mentia aut desperatione talis electio distaret?  
O quanta desperatio & amentia hominis, qui  
in tribunali, non dicam vbi cognatus & ami-  
cus, sed ipsemet homo reus est Iudex, nolit  
se conuenire; sed in iustissimo & acerbissimo  
velit condemnari, vbi Deus seuerus actor, &  
offensus erit iudex! Si criminis tui alteruter  
arbiter ad optionem tuam designaretur, aut  
complex

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 343  
complex tecum in eâdem culpâ , aut accusator tuus & pars offensa , an eligeres huius iudicium ? non complex tuus , sed tu ipse , aut Deus offensus iudex tuus potest esse , & necesse est vt sit punitor. Impossibile est vitare condemnationem & iudicium aliquod : aut te diiudica , aut Dominus te ad pœnam iudicabit feuerissimè. Ne igitur contempnas iudicium tuum : nam sic fugies diuinum , ne ibi damneris.

Nullius rei temporalis maior ratio tibi sit, quàm vt à te rationem exigas ; nec est aliud magis rationabile. Si alios reformare volumus ; cur nos volumus relinquere deformes & iniquos ? Saltem bis in die voca te in ius, & rigidissimè te iudica , velut si in tremendo die vltimi iudicij esses. Si tunc , cùm omnes homines trepidi, expauentes & horrentes ante tribunal Christi, essent iudicandi , solùm tecum tam misericorditer iudex se haberet, vt te separaret à turbâ totius generis , & nollet te iudicare & damnare ; sed contentus esset , vt te discuteret hoc pacto, vt si tu ipse temet iudicares & punires serio, staret tuo iudicio ; sed si negligenter, iterùm restituendus esses ad massam ceterorum , vt ad supplicium rigidissimè iudicareris ; quibus gratis æstimares hunc fauorem Christi ? quantâ sollicitudine inspiceres & scrutareris te , nec vllò modo

do tibi benignus esses? Tantumdē tibi modò est concessum : age in examinibus quotidianis & confessione causam Dei, gloriam eius feridò quærens, & confusionem tui procurans. Considera inde Christum terribiliter iudicantem reliquos homines, intimantem extremam damnationis sententiam, & aliunde crucifixum pro te, & te solum qui discutias te ipsum ante pedes Christi in monte Caluariæ, cum matre IESV, Ioanne & Magdalenâ lacrymantibus, clamante & lacrymante quoque ipso dilecto IESV, Pater ignosce illi, quia nescit quid fecerit. Ita quoque cogitatione ad Confessorem accede, cum spe veniæ, si tibi non parcas; considerans Iesum, cum nihil tuo supplicio, & peccatis attentus erat, nisi sollicitus de eorum veniâ, de tuorum peccatorum numero & magnitudine curam deponens, solum indulgere optans, quia commisit tuæ fidei examen & discussionem eorum & vindictam. Esto fidelis Christo, & nihil inultum tibi transeas; sic Christus fidelissimus tibi in omnibus tibi parceret.

Statue primùm coram te sortem, cuius rationem reddere teneris; omnia scilicet beneficia diuina: deinde discute abusum eorum, & ingratitude: demum humiliare, dole, lacrymare exiguos etiam defectus; & viriliter

viriliter cum gratiâ Dei propone non relabi in æternum. Firma hoc pactum tuum, vt humani contractus firmari solent, primò coram testibus; renoua propositum coram Angelis, & Sanctis; deinde præstitâ cautione vel vadimonio, beatam Virginem, & Sanctos deuotos voca & designa fideiussores, item adiiciendo pœnam. Statuas tibi, si relabaris, spontaneum aliquod quod tibi molestum sit; contende semper in melius: nam si gaudium est Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente; cur non erit lætitia super iusto in melius quotidie contendente? Ne intepescas in hac discussione tui, quæ clavis est totius feruoris. Tepiditas multorum Religiosorum ex huius exercitij tepore venit: hinc plures parum feruidi, hinc viri diu pij, miserè postea defecerunt, quia superficiali quodam dolore & examine contenti manebant; & quod hac horâ plangebant, sequenti optabant.

Quotidie bis renouas & iuuas vires corporis refectione corporali: non decet minùs renouare vires animæ & proposita tua, discutendo te; imò non bis, sed passim ad singula opera considera, an benè vel secus feceris. Deus qui non potest errare, singula opera sua statim ac fecerat, considerabat & examinabat. Fecit lucem, statim examinans vidit quòd esset bona. Fecit luminaria, statim



346 IO. EVSEBII NIEREMBERGII  
scrutatus est, & vidit quòd essent bona. Quo-  
tidie operum singulorum examina fecit, de-  
inde vniuersale omnium, cuncta perpen-  
dens, & vidit, quòd essent valdè bona.  
Sic tu singula tua opera examina, deinde  
omnia simul. Si non fecisti benè, in discus-  
sione tuæ conscientiaë emendabis, vt dein-  
ceps facias meliùs. Moyses in sinu sui pecto-  
ris manum mundauit, quam inuenit lepro-  
sam. Hæc discussio seria officina est virtu-  
tum: ibi timor Dei, ibi humilitas, ibi cogni-  
tio sui, ibi compunctio, ibi perseuerantia, ibi  
feruor, ibi prudentia cuditur. Insidiare præ-  
cipuè alicui vitio, cui molestus & importu-  
nus sis, donec penitùs extirpes: hac arte pau-  
latim omnia euellere cura.

#### CAPVT XIV.

*Quomodo erga alios debeamus affici.*

**H**Æc sit interdiu occupatio tua, in om-  
nibus operibus tuis etiam bonis te ac-  
cusare, & in operibus alienis etiam malis ex-  
cusare alios. Non est conscientia vt vultus; a-  
lienas facies videmus, non nostram; sed con-  
scientiam nostram videmus, non alienas:  
quare solùm nos diiudicare & damnare de-  
bemus, & possumus. Si cùm tuam conscien-  
tiam tu solus cernere valeas, nihilominùs  
non

non potes discernere plura opera tua, an bene vel male facta sint, an consensum præstitisti, vel secus; cur audes iudicare alios, quorum corda abscondita sunt, nisi soli Deo? Si tuam mentem non vides, quomodo iudicas alienam? Si tua non potes discernere, quomodo audes decernere de aliis? Si tibi non attendis, quare appendis reliquos? Sed plerumque qui in foro otiosi sunt, murmurant, & detrahunt aliis; sic qui suæ animæ non habet curam, iudicat alios. Experienciâ iam oportebat didicisse, quàm sæpe fallantur iudicia nostra. In rebus corporalibus, & iis quæ tantum habent extrinsecam speciem & colorem, sæpissimè decipiuntur sensus; quantum facilius frustrabuntur in iudicandis humanis cordibus, quæ non percipiunt, quæ à libero gubernantur arbitrio, & in quibus tot miracula passim operatur secretò gratia Dei? Quamvis conspicua videantur argumenta sinistrae suspicionis, non oportet iudicare sinistrae, quia potes falli. Socij sancti Bonifacij non irrationabiliter, sed sufficientibus indiciis ex vitâ præteritâ, suspicati sunt fuisse occupatum cum meretrice, dum quærebant illum; at ipse interim æstuans amore Dei, patiebatur atrocissima tormenta pro Christi nomine. Tam fallax fuit iudicium verisimile; quantum decipieris improbabilibus tuis suspi-

suspi-

fuspicionibus? Is qui potestatem habet super alios, & tenetur iudicare, non debet damnare nisi constet culpa euidenter; & in dubiis reus absoluitur: cur tu solâ opinione tuâ incertâ audebis damnare eum qui melior te est, & à quo iudicandus es?

Si diligeres alios, vt Christus iubet, non iudicares illos: charitas operit multitudinem peccatorum. Ideò non te iudicas, quia amor proprius te inclinat, vt excuses tua: quare si amor tibi esset fratrum, non iudicares, sed excusares illos. Christus iudicaturus hominem, factus est ipse homo, & induit humanitatem: tu quoque si iudicare aut reprehendere alium vis, indue illum, & ita cum illo facias, vt velles tecum fieri. Hoc sit primum charitatis opus, vt non offendaris in fratre tuo: alterum est, vt non offendas illum; tertium, vt iuues in omnibus: tamen quia non diligis, sæpè deficis in primo officio, & iniuste offenderis adhuc innocentibus, & fastidis plerumque eos qui grati sunt Deo. Vbi est charitas Dei, vbi est amor IESV, si possunt tibi displicere ij, qui placent IESV, & amici Dei sunt, & placent plusquam tu peccator. Si amares Deum, & eius immensam bonitatem, omnes propter bonitatem amares; amares bonos, quia boni sunt; amares malos, quia boni esse possunt. Non tantùm in pretio est  
admi-

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. III. 349  
admirandum aliquod artificium, sed & materia ex quo fieri potest. Ex malis fiunt boni, oportet non fastidire illos: hoc est amare omnes propter bonitatem, hoc est amare omnes in Deo, cum amamus propter illud quod non potest amari sine Deo, ut bonitas, iustitia, virtus.

Si bonitatem Dei amares, omnes amares in Deo, & velles ut omnes Deum amarent, & ad hoc iuuares & sollicitareris. Diuersus est zelus amoris humani & diuini: bonitas humana finita & exigua est, & non sufficit omnibus; nec potest satisfacere multis, quin singulis minus respondeat; ideo zelus hominum est, ne alij ament, quod quisque diligit: at quia bonitas Dei est infinita, & plus quam sufficiens omnibus, & amor noster limitatus ut tantæ bonitati nequeat satisfacere; idcirco zelus diuinus est, ut ceteri etiam ament illam, & approbent nostrum amorem, & coadiutores sint, ut soluant, & magis satisficiant bonitati, quam æquare non possumus vlllo amore. Impudenter amas Deum, nisi velis ut illum ament omnes: nam debes amare plus quam te: te autem, cum pessimus sis, vis ut omnes ament; cur optimo Deo minus desideras?

O infinita Dei bonitas, qui me pessimum & vltimum peccatorem tantoperè amasti, ut  
non

non contentus quòd me amares, etiam volueris, vt me amarent omnes, & hoc præceperis; cur non desiderabo ego, vt omnes te ament, & illud vbique curabo? imò obligasti omnes tuo præcepto & sanguine, vt non minori modo me diligerent, quàm quemadmodum tu dilexisti me, & quisque diligit se ipsum. Da mihi, vt etiam hæc exempla amandi seruem, vt ego amem omnes. Tu dixisti: Hoc est præceptum meum, vt diligaris inuicem, sicut dilexi vos. & iterùm: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Tu Domine amasti me, antequam te diligerem: tu Domine amasti me, non propter vtilitatem tuam, sed meam: tu amasti me summo amore, nam maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis: tu amasti me amore perseveranti: tu es ille, qui cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Hæ sunt leges, quibus me amasti; & debent esse regula, quibus amem alios. O anima, discce amorem ab amore Christi, & dilige velut vitam tuam quos dilexit Christus plusquam vitam suam; & in illis vult à te diligi, & coli.

Si Christus æger in lecto (non reputabit indecentiam cogitari languentem pro bono nostro, ille qui verè languores nostros tulit pro salute nostrâ) aut famelicus esset, &

alius

alius pauper esset in alio lecto egrotans etiam, & laborans fame, & consuleres ipsum Christum, utri prius subueniri vellet an sibi, an pauperi; credo pie responsurum, quod pauperi: nam & ipse Christus auferret cibum ab ore suo, ut pauperem aleret. Christo igitur in paupere serui & cole: si opera tua non potes, saltem oratione, & compassione; non tantum in necessitatibus corporalibus, sed multo magis in spiritualibus. Eleemosynam factam corpori, quod studet affligere Deus, tantoperè æstimat, ut pro illâ promittat cælum, nec aliam causam absoluendi in tremendo die iudicij assignet; quanto maioris faciet eleemosynam factam animæ, pro quâ mortuus est? O charitas Dei infinita, ô amantissime IESU, qui posuisti animam tuam pro peccatoribus, concede mihi, ut diligam animas eorum, quemadmodum tu dilexisti. Exemplum amoris tui sumam, ut amem quos tu amasti, non exemplum amoris mei; nec diligam proximum, sicut me ipsum amari, nam malè diligam. Me nesciui diligere; quomodo diligam alios? Quomodo me potui diligere, qui dilexi voluntatem meam, qui dilexi iniquitatem? Sed diligam proximum, sicut me debeo diligere, desiderando illi voluntatem tuam, & maiorem gratiam; ut omnes ardentissimè seruiant tibi, & adorent in spiritu & veritate.

IOAN-